

ELEMENTA JURIS
Secundum ordinem
INSTITUTIONUM JUSTINIANI
In uſum domeſticæ exercitationis digeſta

à

JOHANNE VOET.
Juriſc. & Anteceſſ. Lugd. Bat.

Editio tertia, priore curatior.

E J Du Bare



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud HENRICUM TEERING, 1712.

LECTORI CANDIDO

S.



Uamvis alteri Commentariorum ad Pandectas volumini perficiendo, quod jam non exigua sui parte typis impressum, totus incumbam, rogationi tamen amicorum & auditorum plurium morem censui gerendum esse, in adornandis per feriarum canicularium tempora hisce juris elementis, secundum ordinem Institutionum ita digestis, ut in omnibus titulorum, atque etiam in plerisque paragraphorum series à me fuerit observata. Hujus vero laboris non alium mihi finem proposui, quam ut levi ac facili viâ prosim illis, qui se meæ curæ jam commiserunt, aut in posterum commissuri sunt; tum, ut in multis à molestâ liberentur eorum, quæ in collegiis exponi solent, adnotatione, quam sæpe mutilatam, sæpius vitio laborantem tentant, qui etiamnum primis initiis parum imbuti, difficilius verba docentis atque sententiam scripto excipiunt ac complectuntur; tum etiam, ut hæc impressa jungentes explicationi, facilius ad examen quotidianum sese parent, ac interrogati felicius reddant rationem eorum, quæ sedulâ libelli hujus & alio-

rum Interpretum lectione, attentâque explicatorum auscultatione, à se percepta opinantur; sine quo minus feliciter in juris arte addiscendâ profici, experientia satis testatum facit. De cætero nulla aliorum ad Institutiones meditata aut carpo aut damno; cum suus cuique scopus fuerit perducendi cupidam legum juventutem ad optatam studiorum metam: qui idem nunc quoque meus est. Nec ullam hujus instituti qualiscunque laudem ambio, quam quod, uti provectiorum studia juvare pro virili intendo, ita & honestis incipientium conatibus promovendis haud quaquam desim. Vale.

ELE-

ELEMENTORUM JURIS
Secundum ordinem
INSTITUTIONUM
LIBER PRIMUS.

Jus noſtrum civile Romanum quatuor conſtat partibus, puta Inſtitutionibus, Pandectis, Codice repetitæ prælectionis, & Novellis. Inſtitutionibus, in quatuor libros diviſis, ac ex juſſu Juſtiniani à Triboniano, Theophilo, & Dorotheo compoſitis, prima continentur juris elementa. Pandectis, quaſi omnia comprehendentibus, ac eodem Juſtiniano jubente digeſtis, & in libros quinquaginta diſtributis, proponuntur reſponſa veterum Juriſconſultorum, ex eorum libris hinc inde decerpta, ſæpe tamen addito aliquo vel detracto accommodata juri novo Juſtinianeo. Codex repetitæ prælectionis, duodecim conſtans libris, reſcripta Imperatorum continet; quibus ſubinde ſive ab Irnerio, ſive ab aliis, privatâ certe autoritate, ſubjuncta inveniuntur compendia novellarum, (quæ vulgo *authentica* dicuntur) ubi lex Codicis per novellas mutata fuit. Quibus tamen miſcentur authenticæ quædam Frederici Imperatoris ex collatione decimâ, ad jus Juſtinianeum proprie haud pertinentes. Appellatur autem Codex hic *repetitæ prælectionis*, quia ſecundus eſt, autoritate Juſtiniani compoſitus demum poſt abſolutas Pandectas & Inſtitutiones; cum ante eas alius fuiſſet codex conditus, qui non extat. §. 2. *proœm. Inſtit.* Sed & ante tempora Juſtiniani triplex codex notus fuit, Gregoria-

 nu-

nus nempe & Hermogenianus autoritate privatâ à Jurisconsultis privatis, unde nomina habent, confecti, ac Theodosianus autoritate publicâ Imperatoris Theodosii Junioris. Novellæ continent jus recentissimum, à Justiniano diversis temporibus conditæ, prout res incidebat, & post ejus obitum in authenticas collationes novem relatæ; unde & constitutio Justini Secundi, qui Justiniano successit in imperio, invenitur iis mixta *novell.* 140. Præter has extant novellæ Leonis, sed juris Justinianei partem non faciunt.

2. Quia vero quatuor hæ juris partes diversis fuerunt temporibus conditæ, & jus posterius priori derogat, hinc Institutiones, tanquam posteriores, Pandectis derogant; Codex Institutionibus: novellæ Codici; ac denique novella posterior priori. *novell.* 117. *cap.* 5.

3. Antinomias, (id est, pugnantia inter se juris loca in eadem juris parte, veluti in Institutionibus, aut in Codice) in jure dari noluit Justinianus. *l.* 1. §. 8. *l.* 2. §. 15. *C. de veteri jure enucleando.* sed vix est, ut defendi possit, eum voti sui compotem factum esse.

TIT. I.

De Justitiâ & jure.

1. Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi *pr. Inst. h. t.* quæ virtutum omnium perfectissima est, ac cum virtutibus cæteris concurrit. *novell.* 69. *in præfat.* ac definitur in suâ perfectione, non qualis cadit in homines corrupti sensus, sed qualis esse debet, ut inde homo dici possit perfecte justus. Unde licet nullus nunc tali constante & perpetuâ voluntate, id est, habitu voluntatis, præditus sit, tamen non ideo minus virtus ipsa Justitiæ con-

constantiam atque perpetuitatem voluntatis requirit.

2. Habet hæc virtus pro fine tria generalia juris præcepta, quæ sunt, *honeste vivere*, *alterum non lædere*, *jus suum cuique tribuere.* §. *pen. Inst. h. t.* Licet enim in definitione tantum tertii præcepti mentio sit; priora tamen duo sub tertio comprehensa sunt; dum unumquodque ex his tribus præceptis, seorsim consideratum, ambitu suo reliqua duo complectitur. Neque enim ullus dici potest honeste vivere, qui alterum lædit, & suum cuique non tribuit: & è contrario, suum cuique tribuere nemo potest, quin simul honeste vivat, alterumque non lædat. Interim ab Imperatore simul proposita sic commode discerni possunt, ut primum quidem *honeste vivere* obliget hominem etiam extra societatem civilem viventem, eoque pertineat religionem Deo tribuere, ac propriæ studere conservationi; quorum alterutro neglecto, honeste non vivitur; reliqua vero duo respiciant hominem versantem cum aliis in societate civili; quippe quo casu demum termini habiles sunt obligationis, ut *alterum non lædat*, adeoque abstineat ab omnibus, quæ jure fieri prohibita sunt; sicut & *ut suum cuique tribuat*, atque ita faciat quæcunque proximo præstari atque fieri jura jubent.

3. Distinguitur justitia in divinam, quæ in Deum cadit, & humanam, quæ in homines cadit vel cadere saltem debet, & superius definita est, ac in commutativam & distributivam vulgo dividitur.

4. Commutativa est, quæ versatur circa commercia. In quâ plerumque servatur proportio, quam appellant arithmeticam, adeoque non tam personarum, quam potius rerum respectus habetur.

5. Distributiva dicitur, quæ versatur circa præmia & pœnas pro meritis cujusque distribuendas. In quâ ut plurimum servatur proportio, quam vocant

geometricam, seu habetur respectus personarum, sic ut pro diversâ earum conditione, dignitate, ætate, sexu, &c. præmia diversa diversæque pœnæ propter ejusdem generis factum decernantur.

6. Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. §. 1. *Inst. h. t.* vel ars boni & æqui. *l. 1. pr. ff. h. t.*

7. Divinarum rerum notitia est, quatenus de rebus etiam divini juris jus dici debet, & quatenus olim juris publici scientia etiam circa sacra & sacerdotes occupata erat. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Injusti scientia est, quia justum ab injusto, æquum ab iniquo separat, atque ita vera, non simulata philosophia dicitur. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* adeoque nec mirum, definitionis hujus verba Philosophiæ posse applicari.

8. Jus est regula & norma agendorum.

9. Dividiturque in publicum & privatum.

10. Publicum est, quod ad statum reipublicæ spectat primario.

11. Privatum, quod ad singulorum utilitatem primario pertinet. §. *ult. Inst. h. t.*

12. Utrumque collectum est ex præceptis naturalibus, gentium, & civilibus.

TIT. II.

De jure naturali, gentium, & civili.

1. Jus naturale vel proprie accipitur, vel improprie. Improprie acceptum pro *instinctu*, est, quod natura omnia animalia docuit. Eoque pertinet maris & fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, liberorum procreatio, ac educatio, sui defensio. *pr. h. t.*

2. Proprie pro *jure naturali hominum*, est jus, quod recta ratio iis, qui vere intelligunt, dictat sine discursu mentis; adeoque quod semper æquum ac bonum est. *l. 9. l. pen. pr. ff. h. t.*

3. Jus

3. Jus gentium est, quod apud omnes gentes, vel saltem moratiores, obtinet & peræque custoditur.

4. Et vel primævum est, vel secundarium. Primævum, quod naturalis ratio inter homines constituit, & apud omnes vel saltem moratiores, servatur; adeoque jus naturale à gentibus comprobatum. Quo refertur religio erga Deum, ut parentibus pareamus, patriam amemus. *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *ff. h. t.* §. 1. *in med. h. t.*

5. Secundarium, quod usu & humanis necessitatibus exigentibus est introductum. §. 2. *in med. h. t.* adeoque non tam ex simplici dictamine rectæ rationis, quam potius ex ratiocinatione propter utilitates humanas aut necessitates descendit. Quo reducenda dominiorum distinctio, bella, captivitates, servitutes, manumissiones, & plerique contractus; exceptâ stipulatione, quæ non tantum quantum ad formam, sed & quantum ad originem, juris civilis est. *d.* §. 2. *h. t. l.* 5. *ff. h. t.*

6. Jus civile est, quod quisque populus sibi proprium constituit. Et hoc nec in totum à naturali aut gentium jure recedit, nec per omnia ei servit. Cum enim unusquisque populus partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utatur. *l.* 9. *ff. h. t.* si quid addat vel detrahat juri communi, hoc ipso jus proprium, id est civile, efficit. §. 1. *h. t. l.* 6. *l.* 9. *ff. h. t.* Sed &, si simpliciter probet ea, quæ jure communi inducta sunt, ea juris civilis esse incipiunt: sic ut jus civile aliud sit origine tale, veluti stipulatio, solennia testamentorum & actuum aliorum; aliud solâ comprobatione, puta delictorum prohibitio & alia innumera ex rectæ rationis dictamine inducta.

7. Dividitur jus civile in scriptum & non scriptum. Deditque huic divisioni occasionem institutum duarum civitatum, Athenarum scilicet & Lacedæmoniorum, dum Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus observabant, memoriæ mandabant, Athenienses

ensʃes vero ea, quæ in legibus ʃcripta comprehendiʃʃent, cuʃtodiebant. §. 10. *h. t.* Sed proprie ʃcriptum jus eʃt, quod expreʃsâ legiʃlatoris voluntate ʃimul & ʃemel ʃancitum eʃt ab eo, qui juris condendi poteʃtatem habet.

8. Hujus ʃex ʃunt ʃpecies; lex, plebiʃcitum, ʃenatusconʃultum, Principum placita, magiʃtratuum edicta, & reʃponʃa prudentum. §. 3. *h. t.*

9. Lex eʃt jus, quod populus Romanus ʃenatorio magiʃtratu interrogante, veluti Conʃule, conʃtituebat. §. 4. *h. t.* In liberâ enim Republicâ poʃt Reges ejectos populus ʃibi inter alia etiam legis condendæ reʃervavit poteʃtatem, nec eam magiʃtratibus communicavit: qui proinde rogare quidem & ʃuadere populo ad comitia convocato leges potuerunt, at non ipʃi condere.

10. Plebiʃcitum eʃt, quod plebs plebejo magiʃtratu interrogante, veluti tribuno, conʃtituebat.

11. Diʃtat autem plebs a populo tanquam pars a toto, dum appellatione populi univerʃi cives ʃignificantur, connumeratis etiam patriciis & ʃenatoribus: appellatione vero plebis ʃine patriciis & ʃenatoribus cæteri cives. §. 4. *h. t.*

12. Plebiʃcita hæc olim tantum obligabant plebem, ʃed poʃtea latâ lege Hortenʃiâ cœperunt vim legum habere: unde & dicta lex Falcidia & lex Aquilia; cum hæ initio inʃpecto non leges fuerint ʃed plebiʃcita. *d.* §. 4. *h. t.*

13. Senatusconʃultum eʃt jus, quod ʃenatus jubet atque conʃtituit. Cum enim auctus eʃʃet populus Romanus in eum modum, ut difficile eʃʃet, in unum eum convocari legis ʃanciendæ gratiâ, æquum viʃum fuit, ʃenatum vice populi conʃuli. §. 5. *h. t. l.* 2. §. 9. *ff. de orig. juris* Senatusconʃultis pleriʃque nomina impoʃita à Conʃulibus, ʃub quibus fuerunt condita, ʃive illi Conʃules ordinarii eʃʃent, in initio anni creati, ʃive ʃuffecti in locum eorum, qui anno necdum elapʃo deficiebant: quorumque no-

nomina ob id in fastis non occurrunt; uti id in Trebelliano ac Pegasiano senatusconsulto aliisque contigit.

14. Placitum Principis seu constitutio est, quod Principi placet ut legis habeat vigorem.

15. Princeps est, qui imperandi potestatem a populo accepit.

16. Tribus autem modis potissimum Princeps jus constituit; edicto, rescripto, decreto.

17. Edictum est jus, quod Princeps motu proprio, vel ad alterius suggestionem, in commune constituit ad honestatem & utilitatem subjectorum.

18. Rescriptum est epistola Principis de re dubiâ ad relationem magistratus alicujus emissa.

19. Decretum est sententia Principis inter partes litigantes, de quarum causâ ipse cognoscit & judicat, pronunciata.

20. Edicta regulariter tantum futura negotia respiciunt, nec ad facta præterita revocantur. *l. 6. C. de legibus.* rescripta vero & decreta etiam ad præterita, de quibus litigatur, pertinent, iisque formam dant. Ac præterea variis ex causis sæpe inutilia sunt rescripta, nempe, si per sub vel obreptionem sint impetrata, id est, vel suppressâ veritate vel expresso mendacio *l. 2. 3. 4. 5. C. si contra jus vel util. public.* si careant die aut Consule aut Principis subscriptione. *l. 3. l. 4. C. de diversis rescriptis.* si impetrata contra jus vel publicam utilitatem. *l. 3. l. 7. C. de precibus Imperat. offer.* si tendant in præjudicium juris tertio quæsiti. *d. l. 7. C. de precib. Imp. offer. §. ult. in med. Instit. de his qui sui vel alien. juris. l. 4. C. de emancip. liberor.*

21. Cæterum constitutiones Principum vel generales sunt, vel speciales.

22. Generales dicuntur, quæ omnes subjectos generaliter concernunt & obligant. Quæ ideo etiam ad similia produci possunt, sic ut, si eadem sit ratio, idem quoque jus esse debeat. *l. 12. 13. ff. de legibus.*

23. Speciales sunt privilegia, seu jura singularia, certæ personæ vel rei contemplatione præter jus commune constituta. §. *6. h. t. l.* 15. *l.* 16. *ff. de legibus.*

24. Horum alia sunt privilegia *personæ*, quæ ad heredes ejus, cui concessa, non transeunt: alia *rei seu causæ*, quæ ad heredes transmittuntur. *l.* 68. *l.* 196. *ff. de reg. juris.* Utraque strictam recipiunt interpretationem, ne egrediantur personam aut rem seu causam, cui concessa sunt; adeoque, quia contra jus commune sunt inducta, non debent trahi ad consequentias, nec, licet eadem sit ratio, ideo quoque idem jus est. *l.* 14. *ff. de legibus. l.* 1. *in fine ff. ad municip.*

25. Edicta prætorum sunt jus a prætore conditum, adjuvandi vel supplendi vel corrigendi juris civilis gratiâ propter utilitatem publicam. §. 7. *h. t. l.* 7. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. §. 10. *ff. de orig. juris.* His proxima sunt edicta ædilium. *d.* §. 7. *tot. tit. ff. de ædilit. edicto.* & hæc duo *juris honorarii* veniunt appellatione. *d.* §. 7. *h. t.* Condere autem potuerunt prætores singuli in initio praturæ suæ edicta in annum durantia, donec tandem Hadriani jussu à Salvio Juliano conditum fuit edictum perpetuum, ex quo deinceps prætores omnes jus dicere obstricti fuerunt.

26. Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum fuit de jure respondere. Ante tempora Augusti publice respondendi jus non a Principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant. Primus Augustus, ut major juris autoritas haberetur, constituit, ut ex autoritate ejus responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit, ac ex Hadriani rescripto dignis præstari. *l.* 2. §. *ult. in med. ff. de orig. jur.* Licet autem judex, ipse quoque juris peritus, responsum prudentis unius atque alterius sequi non teneretur, tamen unanime Juris-

tisconsultorum omnium aut plerorumque responsum eam habebat autoritatem, ut ab eo judici recedere non liceret. §. 8. *h. t.*

27. Jus non scriptum, seu consuetudo est, quod moribus utentium paulatim introductum, legis habet vigorem §. 9. *h. t.* Unde & consuetudo posterior derogat legi priori. §. 11. *h. t. l.* 32. §. 1. *ff. de legibus.* si modo concurrant requisita consuetudinis, qualia sunt, ut justa sit & rationabilis. *l.* 39. *ff. de legibus,* ac adsit actuum frequentia & longum tempus. *l.* 1. *C. quæ sit longa consuet. d. l.* 32. §. 1. *ff. de legib.* Et quia nec annorum nec actuum numerus lege definitus est, judex arbitrari debet, quot actus & anni sufficiant.

28. Differt autem jus civile a naturali, quod civile sit mutabile, naturale immutabile, idque in thesi; in hypothesi enim mutabile est, uti &, si non præcipiat, sed tantum suadeat quid: quâ ratione suadet libertatem, quæ tamen mutari potest in servitutem.

29. Objecta juris tria sunt, personæ, res, & actiones; jus enim redditur inter personas de rebus per actiones.

TIT. III.

De jure personarum.

1. Jus personarum est status seu conditio personarum.

2. Summa personarum divisio est, quod vel liberi sint vel servi.

3. Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibeatur. §. 1. *h. t.*

4. Servitus est constitutio juris gentium, quâ quis alieno dominio contra naturam subjicitur. §. 2. *h. t.*

5. Statu liberi dicuntur, qui statutam in tempus aut conditionem libertatem habent. Et hi pendente libertatis conditione servi potius quam liberi sunt. *l. 9. ff. de statuliberis.*

6. Servi adscriptitii sunt, qui fundo seu glebæ terræ adscripti una cum fundo ad alios transferuntur. Nec confundendi cum iis, qui simpliciter coloni sunt; quippe qui magis hominibus liberis accensendi. *l. 7. l. 18. C. de agricol. & censitis.*

7. Servi vel nascuntur, vel fiunt: nascuntur ex ancillis: fiunt vel jure gentium per captivitatem, unde & servi à servando dicti, quia in bello per captivitatem servati: vel jure civili, puta si major annis viginti ad pretium participandum se venundari passus sit. §. 4. *h. t.* vel libertus ob ingratitudinem revocetur in servitutem; vel quis servus pœnæ fiat, dum in metallum vel ad bestias damnatur. §. 3. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solvitur.* quæ tamen pœnæ servitus jure novissimo sublata est. *nov.* 22. *cap.* 8.

8. In servorum conditione nulla differentia est, quatenus omnes æque dominis subsunt; licet ministeriis diversi sint; atque etiam alii *ordinarii* appellentur, qui nempe domino immediate subsunt: alii *vicarii*, qui sunt in peculio ordinariorum. *l. 17. ff. de peculio.* §. 17. *Instit. de legatis.*

TIT. IV.

De ingenuis.

1. Homines liberi dividuntur in ingenuos & libertinos.

2. Ingenuus est, qui statim, ut natus est, liber est, nec in utero matris manumissus, seu, qui matre liberâ natus est: partus enim hic ventrem, id est, matris non patris conditionem sequitur; ac sufficit matrem vel tempore conceptionis, vel tempore partus, vel

vel medio tempore liberam fuisse; quia calamitas matris superveniens non debet nocere ei, qui in ventre est; & is, qui in utero est, pro jam nato habetur, quoties de ipsius commodo agitur. *pr. h. t. l. 7. ff. de statu homin.*

3. Pro ingenuo habetur, licet vere non sit, qui, cum libertinus esset, sententiâ tamen judicis ingenuus pronunciatus est, quia res judicata pro veritate habetur *l. 25. ff. de statu hom.* uti &, qui deferente patrono juravit se ingenuum esse. *l, 30. §. 4. ff. de jurejur.* Si ingenuus, in servitute detentus, manumissus fuerit tanquam vere servus, non ideo desinit ingenuus esse; cum natalibus non officiat manumissio. §. 1. *h. t.*

TIT. V.

De libertinis.

1. Libertinus dicitur, qui ex justa servitute manumissus est.

2. Manumissio est de manu datio, seu, de potestate dimissio.

3. Hæc variis fuit peracta modis, quorum alii solennes seu legitimi erant, puta, vindictâ, censu, testamento, in sacrosanctis ecclesiis: alii minus solennes seu naturales, veluti per epistolam, per mensam, & inter amicos. §. 1. *h. t.*

4. Manumissio *per vindictam* est actus jurisdictionis voluntariæ. & ideo non præcise pro tribunali, sed & in transitu fieri potest, dum prætor aut præses in balneum aut in theatrum eunt. §. 2. *h. t.*

5. Libertini olim vel cives Romani erant; vel Latini, qui minorem consequebantur libertatem; vel dedititii, quorum pessimus status erat & servili proximus. Sed jure novo omnes manumissi fiunt cives Romani & ingenui, salvo jure patronatus. *nov.* 78.

6. Jus

6. Jus patronatus est, quod quis ex manumissione servi in personam & bona manumissi consequitur. Unde libertus patrono obsequium, honorem, & reverentiam debet. *tit. ff. de obseq. parent. & patrono præst.* uti & operas. *tit. ff. de operis libert.* ac in bona ejus defuncti patronus sæpe succedit. *tit. ff. de bonis libert.* eundemque ob ingratitudinem potest in servitutem revocare. *l. 5. ff. de jure patronat.*

TIT. VI.

Quibus ex caussis manumittere non licet.

1. Legis Æliæ Sentiæ duo fuerunt capita; quorum primo cautum, ne quis servos manumittat in fraudem creditorum, præter unum, qui domino sit heres necessarius, sive is instituatur adscriptâ libertate, sive libertas addita non sit, quippe quæ tacite subauditur in institutione; dum dominus, qui vult consequens, ut nempe servus heres sit, intelligitur etiam velle antecedens, ut liber sit; quia sine libertate nullus ex suo capite alteri heres esse potest.

2. Data vero in fraudem libertas ipso jure inutilis est, & lex impedit, ne ea nascatur. Adeo ut, si duo instituti sint, & uterque vivat, neuter heres aut liber fieret, sed invicem sibi obstarent. *l. 42. l. 43. ff. de hered. instit.* nisi alteri ex his testator fideicommissariam deberet libertatem. *l. 55. ff. de hered. Inst.* Estque hoc singulare, quod datio libertatis ita facta ipso jure non competat. *pr. & §. 1. 2. h. t.* cum vulgo alienatio in fraudem creditorum facta non sit ipso jure nulla, sed per Paulianam aut rescissoriam actionem infirmanda. *§. 6. Inst. de action. tit. ff. quæ in fraud. cred. alien. sunt ut rescind.*

3. In fraudem creditorum manumittere dicitur, qui vel eo tempore, quo manumittit, solvendo non est, vel datis libertatibus desiturus est solvendo esse, ac ani-

animum fraudandi habet; sic ut concurrere debeat affectus seu propositum fraudandi, & effectus, ut vere creditores fraudati sint: alterutro enim deficiente, libertates ratæ manent. §. 3. *h. t.* nisi per fideicommissum datæ sint, quo casu solus effectus sufficeret. *l. ult. C. qui manumitt. non poss.* Sed & necesse, ut creditoris ejusdem intuitu affectus & effectus adsit: neque enim libertas impeditur, si manumittens Titium creditorem fraudare voluerit, & Mævius tantum re ipsâ fraudatus sit. *l. 15. ff. quæ in fraud. credit. alien. sunt ut rescind.* nisi ex posterioris creditoris fraudati pecuniâ prior creditor dimissus sit. *l. 16. ff. eod. tit.*

4. Altero capite cautum, ne minor annis viginti servum manumittat, nisi ex causâ justâ apud consilium probatâ; veluti, si quis patrem, matrem, filium, filiam, fratres sororesve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum alumnamve, aut collactaneum manumittat, aut servum procuratoris habendi gratiâ, aut ancillam matrimonii causâ, dum tamen intra sex menses in uxorem ducatur, nisi justa causa impediat (veluti, si plebejus manumittens mox senator fiat, cui libertinam ducere non licuit. *l. 31. ff. de ritu nupt.*) & qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & septem annis completis manumittatur. §. 5. *h. t. l. 11. & seqq. ff. de manumiss. vindictâ.* Quod de procuratore ad lites accipiendum; cum ad id, ut quis extrajudicialia alterius negotia procuret, nec libertate nec annorum septendecim ætate opus sit. arg. *l. 7. §. 1. 2. l. 8. ff. de institor. act.* Potuit tamen minor consentire in manumissionem ejus servi, in quo jus pignoris habebat aut ususfructus. *l. 2. l. 4. § . ult. ff. de manumiss. vindicta.* & jure novissimo libertates dare potest quisque testamento eâ ætate, quâ & de reliquâ suâ substantiâ potest disponere. *nov. 119. cap. 2.* Denique, si semel causa approbata sit, sive vera, sive falsa, liber-

libertas non retractatur; jure singulari & favore libertatis. §. 6. *h. t.*

TIT. VII.

De lege Fusiâ Caniniâ tollendâ.

Lege Fusiâ Caniniâ cautum fuit, ut tantum certus servorum numerus, non tota familia, nec unquam ultra centum, testamento manumittantur. Gajus *Instit. libr.* 1. *tit.* 2. Ulpianus *in fragm. tit.* 1. §. *pen.* Paulus *recept. sent. libr.* 4. *tit.* 14. *in fine.* Sed & hæc sublata, datâ dominis liberrimâ facultate universæ servorum familiæ per testamentum æque ac inter vivos manumittendæ. *h. t.*

TIT. VIII.

De his qui sui vel alieni juris sunt.

1. Altera personarum divisio est, quod homines vel sui vel alieni juris sint.

2. Sui juris, qui nec dominicæ nec patriæ potestati subsunt; & appellantur patresfamilias.

3. Alieni juris, qui alterius potestati dominicæ vel patriæ subjecti sunt; ut servi & filiifamilias.

4. Dominica potestas est jus, quod domini habent in suos servos. Ac origine ex jure gentium, formâ vero ex jure civili est; ejusque plurimi effectus sunt: nam servi omnia acquirunt domino. § 1. *h. t.* jure civili pro nullis habentur, non item jure naturali. *l.* 32. *ff. de reg. juris.* Unde varia profluunt specialia, quod nempe nec testari, nec legare, nec testes esse, nec agere pro se, nec in judicio pro aliis procuratores esse, nec fidejubere extra causam peculiarem, nec publico munere fungi, nec matrimonium contrahere, nec agnationem computare possint.

5. Præ-

5. Præcipue vero olim dominis jus vitæ necisque in servos competiit, sed id paulatim immutatum, tum lege Petroniâ, tum rescripto Hadriani. *l.* 11. §. 2. *ff. ad leg. Corn. de sicar. l.* 2. *in fine ff. h. t.* tum denique Antonini constitutione, secundum quam sola modica coërcitio dominis permissa fuit; quam si excesserint, & servum occiderint, æque ultimo supplicio ex lege Cornelia plectendi fuerunt, ac si alienum servum occidissent. §. 2. *h. t.* junct. *l.* 23. §. 9. *ff. ad leg. Aquil.* nisi justa occidendi causa subfuerit, dum servum suum sibi insidiantem, aut in adulterio deprehensum, occidunt. *l.* 53. §. 3. *ff. de leg.* 1. *l.* 96. *ff. de verb. sign.* junct. §. 2. *Inst. de lege Aquil. l.* 24. *ff. ad leg. Jul. de adulter.*

6. Quod si non occiderint sed ultra modum sævierint, aut intolerabili affecerint injuriâ (quam & servi pati possunt, ut querelas deferant, non ut actionem civilem injuriarum moveant. §. 2. *in med. h. t.* junct. §. 3. *Inst. de injuriis.*) non modo extra ordinem coërcendi sunt; sed & cogendi, ut servos male habitos vendant conditionibus bonis, id est, non duris, & ita, ut in potestatem domini non revertantur. Quem in finem servis permissum fuit ad statuas Principis vel ad ecclesiam confugere. *d.* §. 2. *h. t. d. l.* 2. *ff. h. t.* arg. *l.* 2. *C. de his qui ad ecclesias confug.* quod alioquin in alterius injuriam permissum non est. *l.* 28. §. 7. *ff. de pœnis.* uti nec criminum reis; quippe qui ab ecclesiis abstrahendi sunt. *novell.* 17. *cap.* 7.

TIT. IX.

De patria potestate

1. Patria potestas est jus, quod cives Romani masculi, non fœminæ, habent in suos liberos ex justis nuptiis, legitimatione & adoptione.

2. Ex

2. Ex justis tamen nuptiis nati ita demum legitimi ac in potestate sunt, si legitimo tempore nati fuerint, id est, ab initio mensis septimi usque ad initium mensis undecimi. *l. 12. ff. de statu homin. nov. 39. cap. 2.* Nepotes quoque ac neptes ita demum, si ex filio in potestate retento nati vel saltem concepti sint: nam si ex filio emancipato vel filiâ nati sint, patris aut avi paterni potestati subjecti sunt. §. *ult. h. t.* cum liberi ex justis nuptiis quæsiti patrem sequantur. *l. 19. ff. de statu hom.*

3. Patria hæc potestas, licet formam specialem acceperit à jure civili, nec ullæ gentes talem habuerint, qualem Romani. §. *2. h. t.* origo tamen ejus æque ac dominicæ potestatis, ex jure gentium est.

4. Effectus patriæ potestatis olim consistebat in jure vitæ necisque in liberos; sed jure novo non ultra modicam coërcitionem extenditur: nam si facti atrocitas jus domesticæ emendationis excedat, necesse est liberos enormis delicti reos judicis dedi notioni. *l. un. C. de emend. propinquor.* Sed & ulterius effectus apparent vel in acquirendo, ut filius, quicquid acquirit, patri acquirat, excepto secundum jus posterius peculio castrensi, quasi castrensi, & pleno adventitio; vel in administrando, dum pater filii bona adventitia eo invito curare potest; vel in alienando, ut pater filium sanguinolentum in casu necessitatis possit distrahere. *l. 2. C. de patribus qui fil. distraxer.* vel in contrahendo, ut filius neque mutuum accipere, neque nuptias inire, aut votum facere, sine patris consensu possit. *l. 1. ff. ad Senatusc. Maced. pr. Inst. de nuptiis. l. 2. §. 1. ff. de pollicitat.* Adhæc pater filiof. tutores testamento dat, pupillariter ei substituit, (de quibus alibi) eum apud alios existentem invitum vindicat, aut avocat interdicto de liberis exhibendis. *l. 1. §. 2. ff. de rei. vind. tit. ff. de liberis exhibendis.*

TIT.

TIT. X.

De nuptiis.

1. Nuptias antecedere possunt sponsalia & dotes.

2. Sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. *l.* 1. *ff. de sponsalib.* Sponsalia de præsenti jus civile ignorat; cum consensus de præsenti nuptias faciat. *l.* 30 *ff de reg. jur.*

3. Dos est res quæ a muliere, vel ab alio mulieris nomine datur marito ad sustinenda onera matrimonii.

4. Et vel profectitia est vel adventitia.

5 Profectitia dicitur, quæ a patre pro filiâ suâ vel emancipatâ datur. *l.* 5 *pr. &* §§. *seqq ff de jure dot.*

6. Adventitia, quam ipsa mulier vel extraneus pro eâ dat. *d l.* 5 § 11 *ff. de jure dot.*

7. Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. §. 1. *Inst. de patr. potest.* seu consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. *l.* 1. *ff. de ritu nupt.* Non tamen ex nuptiis inter conjuges nata fuit bonorum omnium societas aut communio; licet quædam communio usus fuerit, ut inter amicos solet. *l.* 4. *C. de crimine expil hered. l.* 1. *ff de act rer. amot.*

8. Polygamia simultanea vetita *l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* successiva licita; licet quædam pœnæ secundarum nuptiarum in favorem liberorum primi thori inductæ fuerint, comprehensæ præcipue in *l.* 3 *i* 5. 6. *& passim in tit. Cod. de secund. nupt.*

9. Ut nuptiæ recte contrahantur, nullâ quidem pompâ aut festivitate vel solennitate opus est, adeoque nec deductione sponsæ in domum sponsi; dum solus consensus, amicorum fide aut aliter confirmatus, sufficiens est. *l.* 22. *C. h. t.* interim tamen varia requiruntur, puta I. ut illi, qui nuptiis jungendi sunt,

fint cives Romani. Peregrini enim non nuptias ſed matrimonia ex jure gentium contrahunt; ſervi contubernium. II. puberes, maſculi annorum quatuordecim, fœminæ annorum duodecim completorum. *pr. h. t.* Malitia jure civili non ſupplet ætatem. arg. *l.* 9. *ff. de ſponſal.* III. habiles ad generandum. Caſtrati ergo nuptias contrahere nequeunt, ſpadones poſſunt, utpote quorum vitium tantum temporarium eſt. *l.* 39. §. 1. *ff. de jure dot. l.* 14. §. 1. *ff. de manumiſſ. vind.* IV. libere conſentientes. Nemo enim cogitur uxorem ducere. *l.* 21. *ff. h. t. de ritu nupt.* V. habeant conſenſum eorum, in quorum poteſtate ſunt, ſive expreſſum ſive tacitum, dum pater cognitis nuptiis contrahendis non contradicit. *l.* 5. *C. h. t.* Antecedenem tamen. *pr. h. t.* Unde ratihabitio patris non facit nuptias retro legitimas. Nepote uxorem ducente, patris ſimul & avi conſenſus requiritur, ne patri intermedio invito agnaſcatur ſuus heres: nepte vero nubente ſolius avi conſenſus ſufficit, *l.* 16. §. 1. *ff. h. t.* Alterutro furente, ſufficit ſolius patris aut avi ſapientis autoritas. *l.* 9. *ff. h. t.* Si ſolus exiſtat pater aut avus, ſed captus ſit ab hoſtibus, vel ita abſit, ut ignoretur ubi ſit; poſt triennii lapſum, quandoque & ante, nuptiæ recte contrahuntur. *l.* 9. §. 1. *l.* 10. *l.* 11. *ff. h. t.* Si furioſus aut demens ſit, liberi matrimonia inire poſſunt autoritate præfecti urbi, vel præſidis vel antiſtitis loci, adhibitis ex genere nobilioribus, & parentis furioſi vel dementis curatore. *l.* 25. *C. h. t.* Liberi emancipati conſenſu parentum non indigent. *l.* 25. *ff. h. t.* niſi filia emancipata minorennis nubat. *l.* 18. *C. h. t.* Matris conſenſus neceſſitatis non eſt, ſed honeſtatis: uti nec conſenſus curatorum. *l.* 20. *ff. h. t.* arg. *l.* 1. *C. h. t.* VI. Non obſtet cognatio, vel affinitas, vel honeſtas, vel poteſtas, vel delictum.

10. Cognatio eſt proximitas ſanguinis orta ex eo, quod plures commune naſcendi principium habent.

11. In

11. In cognatione considerandæ lineæ; in lineis gradus.

12. Linea cognationis vel recta est, vel obliqua seu collateralis.

13. In rectâ lineâ sunt vel descendentes, ut filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos: vel ascendentes, ut pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus.

14. In obliquâ sunt, quorum alter alterum non genuit sed qui simul communem aliquem agnoscunt stipitem, a quo sunt geniti.

15. Gradus cognationis dicuntur a similitudine scalarum, locorumque proclivium, quas ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id est, in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus. *l.* 10. §. 10 *ff. de grad. & affin.* adeoque sunt personæ proximæ ad proximam adjunctio.

16. In computatione graduum lineæ rectæ & obliquæ unica tantum ex jure civili observanda regula; nempe, quot sunt personæ demto stipite, tot sunt gradus; seu, quot sunt generationes, tot sunt gradus. §. 7. *Inst. de gradib. cognat. l.* 10. §. 9. *ff. de grad. & affin.*

17. Affinitas est conjunctio ratione matrimonii inter conjugem & alterius conjugis cognatos.

18. Hujus nulli vere gradus sunt, sed similitudo quædam graduum, ita ut, in quoto gradu cognationis maritus suis cognatis est, in eodem quasi gradu affinitatis uxor iis sit; & vice versa.

19. Cognationis & affinitatis intuitu nuptiæ inter ascendentes & descendentes in infinitum sunt vetitæ, sive parentes & liberi sint legitimi & naturales simul; sive legitimi tantum, quales adoptivi, non durante tantum sed & soluto vinculo adoptionis, sive naturales tantum, aut alias quocunque modo illegitimi. §. 1. *h. t.*

20. In lineâ collaterali toties sunt vetitæ, quoties

sibi invicem parentum & liberorum loco sunt, veluti inter patruum & fratris filiam, vel neptem, similesque personas; eoque pertinet regula, quod, cujus filiam ducere non licet, ejus nec neptem licet. §. 3. *h. t. l.* 39. *ff. h. t.* Sin sibi invicem parentum & liberorum loco non sint, nuptiæ in solo gradu secundo vetitæ, puta, inter fratres & sorores, sive germani sint, sive consanguinei, sive uterini; nec interest, legitime nati sint, an illegitimi, an adoptivi durante adoptione §. 2. *h. t.* In quarto gradu omnino subsistunt, puta inter patrueles aut consobrinos, eorumque descendentes. §. 4. *h. t.*

21. Cognatio spiritualis nuptias impedit inter susceptorem de fonte baptismatis & susceptam. *l.* 26. *C. h. t.*

22. Inter comprivignos nuptiæ valent, quia inter eos nec cognatio nec affinitas est, quæ nuptias impediat. §. 8. *h. t.*

23 Honestas impedimento est, ne nuptiæ ratæ sint cum sponsâ patris aut sponsâ filii, aut cum filiâ, quam uxor post divortium ex alio procreavit. §. 9. *h. t.*

24. Potestas obstat, sive publica, sive privata. Publica facit, ne nuptiæ valeant inter præsidem vel alium in Provinciâ officium administrantem & puellam provincialem; licet præses eam sibi despondere, atque etiam veterem sponsam ducere, denique filias suas provinciali nuptum collocare non prohibeatur. *l.* 38. *l.* 65. §. 1. *ff. h. t.* Privata potestas nuptias facit irritas, inter pupillam & tutorem vel tutoris filium, vel nepotem, vel heredem, vel libertum, nisi puella a patre suo tutori filiove ejus desponsata sit, vel rationes per tutorem jam redditæ & præterlapsum tempus restitutioni petendæ præfinitum: sicut & tutori licet suam filiam suo pupillo collocare. *l.* 36. 37. 60. *pr. &* §§. *seqq. l.* 64. 66. 67. *ff. h. t.*

25. Delictum denique nuptiis obest, ne valeant inter adulterum & adulteram. *l.* 13. *ff. de his quib. ut indignis.*

gnis. raptorem & raptam. *l. unic.* §. 1. *C. de rapta virg.*

26. Si contra leges nuptiæ contractæ sint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec dos intelligitur, ac liberi inde nati illegitimi sunt, sive a scientibus sive ab ignorantibus impedimentum nuptiæ sint initæ. §. *pen. h. t.* Sed scientes aliis insuper pœnis afficiuntur, puta, confiscatione bonorum, exilio, cinguli seu dignitatis spoliatione, verberatione quoque, si vilis persona sit. *auth. incestas C. de incest. & inutil. nupt.* ac liberi ex complexu incesto nati nec patri succedere nec ab eo ali debent. *auth. ex complexu C. de incest. nupt.* Errantes hisce pœnis gravioribus haud subjiciuntur, nisi comperto errore perseveraverint in illegitimâ conjunctione. *l. 4. C. de incest. nupt. l. ult. in fine ff. h. t.*

27. Legitimatio est actus, quo liberi illegitimi fiunt legitimi.

28. Illegitimi vel naturales sunt, sc ex concubinâ nati; vel spurii, ex vago concubitu quæsiti; vel adulterini, ex adulterio geniti; vel incestuosi, ex damnato & nefario complexu editi.

29. Fit autem legitimatio tribus modis: per oblationem curiæ, per subsequens matrimonium, & per rescriptum Principis.

30. Per oblationem curiæ; cum pater filium illegitimum ad munus decurionatus offert, vel filia illegitima decurioni nubit. *l. 3. C. de liberis natural. novell.* 89. *cap.* 2. Quo genere legitimationis etiam spurii & incestuosi potuerunt legitimari. arg. *l. 6. ff. de decurion.*

31. Per subsequens matrimonium; cum pater quocunque tempore concubinam, ex quâ liberos suscepit, ducit in uxorem §. *ult. h. t. nov.* 89. *cap.* 8. Quo modo soli legitimantur liberi naturales.

32. Per rescriptum Principis, cum Princeps ad petitionem patris, vel ipsorum legitimandorum, jura legitimorum liberorum illegitime natis tribuit. *d. nov.* 89.

89. *cap.* 9. Nec dubium, quin Princeps ex plenitudine potestatis etiam spurios & incestuosos legitimare possit. *l.* 57. §. 1. *h. t.*

TIT. XI.

De adoptionibus.

1. Adoptio est actus legitimus voluntariæ jurisdictionis, quo is, qui naturâ filius non est, fit filius. Et vel adoptio in specie est, vel adrogatio.

Adoptio in specie est, quâ filiusfamilias, non contradicens, imperio magistratus in filium aut nepotem adsciscitur.

2. Adrogatio (a rogatione sic dicta) est, quâ paterfamilias expresse consentiens rescripto Principis in jus liberorum assumitur. §. 1. *h. t. l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 5. *ff. h. t.*

3. Præter differentias inter adoptionem in specie & adrogationem ex definitione petendas, illud insuper interest, quod infans adoptari possit. *l.* 42. *ff. h. t.* non nisi septennio major adrogari. arg. *l.* 2. *&* 5. *ff. h. t.* junct. *l.* 14. *in fine ff. de sponsal.* per adoptionem jure novo non transeat in adoptantem patria potestas, sed adoptatus maneat in potestate patris naturalis, & ab eo, non vero a patre adoptivo, instituendus necessario sit, sed tantum patri adoptivo ab intestato succedat: nisi adoptatus sit ab aliquo ascendentium, veluti ab avo paterno vel materno; tunc enim patris adoptantis potestati subjicitur; sed solus, neutiquam cum liberis aut bonis: cum contra adrogatus sive ab extraneo sive ab ascendente semper in familiam ac potestatem adrogantis transeat, una cum liberis & bonis. §. 2. 10. *h. t. l.* 40. *ff. h. t. tit. Inst. de acquisit. per adrogat.* eique non tantum ab intestato succedat, sed & instituendus ab eo sit. Quibus adde, ad adrogationem minoris, si quidem impubes sit, requiri consen-

sum

sum omnium tutorum; sin pubes, curatorum. *l. ult. C. de autorit. præst. l.* 8. *ff. h. t.* Cum patris solius autoritas in adoptione sufficiens sit. arg. *l.* 5. *ff. h. t.* maxime, cum filiusfamilias in tutelâ aut curâ esse non possit. Denique in adrogatione impuberum inquiri causam adrogationis, an honesta sit expediatque pupillo; ac impositum esse patri adrogatori, ut caveat personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem ejus venturi essent; denique ex constitutione D. Pii quartam bonorum omnium patris adrogatoris debitam fuisse impuberi, si is decedens eum exheredaverit, vel vivus sine justâ causâ emancipaverit; præter bona ipsius adrogati. §. 3. *h. t.*

4. Adoptans omnis debet talis esse, ut & nuptias contrahere possit. §. 9 *h. t.* ac plenâ pubertate, id est, decem & octo annis, antecedere adoptatum. §. 4 *h. t.* etiam sexaginta annis major esse; cum alioquin ipse ex nuptiis liberos quærere debeat; nisi morbus aut valetudo impediat, aut conjunctam personam velit adrogare. *l.* 15. §. 2. *ff. h. t.* Nec facile permittendum ei, qui jam unum pluresve liberos ex justis nuptiis vel adoptione habet, alios adoptare. *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* Et si in locum nepotis adoptio facienda sit, filium intermedium consentire necesse est, ne ei invito suus heres agnascatur: nisi tanquam ex filio incerto adoptare velit. Plane, avus nepotem invito filio in adoptionem dare potest. §. 5. 6. 7. *h. t.*

5. Fœminæ adoptare nequeunt, nisi ex rescripto Principis in solatium liberorum amissorum; quo casu adoptatus fit quidem filius, sed non in potestate; cum ea penes matrem esse nequeat. §. 10. *h. t.* Si dominus proprium servum adoptet, is liber quidem, at non filius efficitur. §. *ult. h. t.* ut tamen, si patronus iterato eum adroget, filius efficiatur. arg. *l. ult. ff. h. t.* junct. *l.* 32. *ff. de ritu. nupt. l.* 3. *C. h. t.*

TIT. XII.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.

1. Patria potestas vel transfertur, vel suspenditur, vel in universum dissolvitur.

2. Transfertur adoptione ab ascendentibus factâ; adrogatione respectu liberorum ejus qui adrogatur; & morte avi, dum nepos avo mortuo recidit in patris intermedii potestatem. *pr. & §. 8. h. t. §. 2. Instit. de adoption.*

3. Suspenditur captivitate patris aut filiifamilias, quia incertum, an captus apud hostes moriturus, an ad suos reversurus sit *l. 22. § 2. ff. de captiv. & postlimin.* adeoque, an juris postliminii, an vero legis Corneliæ fictio admitti debeat Si enim ad suos redeat, juri postliminii locus est, quæ est juris fictio, quâ captus ab hostibus, iterumque reversus, fingitur nunquam captus fuisse, & omnia jura recipit captivitate amissa. Si vero apud hostes moriatur, lex Cornelia locum habet, quâ captus ab hostibus, ac ibidem moriens, fingitur primo captivitatis momento in urbe mortuus. *§. 5. h. t. § ult Inst. quib. non est permiss. fac. testam. d. l. 22. ff de captiv. & postlim.*

4. Dissolvitur in universum I. Morte patris, qui filium habuerat in potestate, & morte filii in potestate constituti. *pr h. t.* II. Deportatione aut in metallum vel ad bestias damnatione alterutrius, adeoque maximâ vel mediâ capitis diminutione. (non item relegatione) *§. 1. 2. 3 h. t.* ut tamen indulgentiâ Principis per omnia restitutus adversus deportationem, pristinum etiam statum recipiat quantum ad patriam potestatem *§ 1. in fine h. t.* secus, si restitutio non per omnia, sed tantum ad quosdam speciales effectus, intervenerit. *l. 6. l. 9. C. de sent. passis & restitutis.*

III. Di-

III Dignitate summâ patriciatus, cum quis in consilium Principis assumitur; nec non aliâ quavis, quæ liberat ab oneribus curiæ §. 4. *h t. nov.* 81. *cap.* 1. §. 1. idque quantum ad ea, quæ ob patriam potestatem filiis gravia, non quæ iis commoda sunt *d. nov.* 81. *cap.* 2. IV Emancipatione; quæ est actus legitimus voluntariæ jurisdictionis, quo liberi de patris potestate dimittuntur. Et hæc pro temporum diversitate triplex fuit, puta legitima, quæ ex lege duodecim tabularum solenniter fiebat, interveniente imaginariâ venditione trinâ si filius, unâ, si nepotes emancipandi essent: Anastasiana, quæ fiebat ex rescripto Principis secundum Anastasii Imperatoris constitutionem: & denique Justinianea, quæ sine Principis rescripto solâ magistratus autoritate peragebatur. §. 6. *h. t. l. pen. & ult. C. de emancip. liberorum.*

5. Quia vero emancipatio est actus jurisdictionis voluntariæ, hinc pater filium natu minorem emancipare, majorem in potestate retinere potest; aut filio retento nepotem dimittere, & vice versâ § 7. *h. t.* & generaliter nullo fere modo liberi parentes cogere possunt ad emancipationem, aut inviti emancipari §. *ult. h. t. l.* 31. *ff. h. t l.* 4. *l.* 5. *C. de emanc. liber.* Cogitur tamen pater, si filium contra pietatem duriter habeat. *l. ult ff. si a parente quis manum fit.* si liberis peccandi necessitatem imponat, leno factus. *l.* 6. *C. de spectaculis.* si impubes aut minor adrogatus postea doceat, sibi adrogationem non expedire *l.* 32. *ff. h. t. l.* 3. § 6. *ff de minor.* 25. *annis.* si pater legatum acceperit, eâ lege, ut filium emancipet. *l.* 92 *ff. de condit. & demonstr.* Vice versâ liberi inviti emancipari possunt iisdem ex causis, ex quibus & exheredari. arg. *l.* 132. *ff. de verb. oblig.*

TIT. XIII.

De tutelis.

1. Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa. § 1. *h. t.* licet origo tutelæ ex naturali jure seu ratione sit. § 6. *Inst. de Attil. tut.* Per *caput liberum* & tutor & pupillus designari potest; cum uterque liber esse debeat, non servus; excepto casu in *l.* 13. *ff. de tut. & curat. dat. ab. his.* *Ætatis* mentio fit, ut distinguatur tutela *ætatis* a tutela *sexus*, in qua perpetuo olim erant mulieres, donec per nuptias defensorem maritum nactæ essent.

2. Tutores sunt, qui illam vim ac potestatem habent. Et triplices sunt; puta, vel honorarii, quales sunt qui non administrant; vel tutores administratores, qui re ipsa tutelam gerunt; vel tutores notitiæ causa dati, qui scilicet dantur, ut instruant tutorem administratorem de rebus pupilli. *l.* 14. §. 1. *ff. de solution.*

3. Tutela quoque triplex est, testamentaria, legitima, & dativa.

4. Testamentaria tutela est, qua pater aut avus paternus, (non mater) liberis impuberibus institutis vel exheredatis, ac proxime in potestate constitutis, nec in alterius potestatem recasuris, (non puberibus aut emancipatis) tutorem dat testamento vel codicillis testamento confirmatis. §. 3. *h. t. l.* 4. *ff. de testam. tut. l.* 1. §. 1. *ff. de confirm. tut.* Nec interest, utrum liberi nati sint, an posthumi. § 4. *h. t.*

5. Tutor confirmatus dicitur, qui cum non jure datus esset a patre vel matre vel extraneo, ex magistratus decreto confirmatur. *l.* 1. §. 1. 2. *l.* 2. *& passim in tit. ff. de confirm. tut.* Et dativus magis quam testamentarius videtur; cum omnem vim ac potestatem

statem non ex testamento, sed ex magistratus decreto habeat. *l. 26. §. 2. ff. de testam. tut.*

6. Confirmatio hæc fit vel sine inquisitione vel cum inquisitione: sine inquisitione, cum pater non recte tutorem dedit filio, puta emancipato, vel naturali tantum cui aliquid reliquit, vel per codicillos testamento non confirmatos. §. *ult. h. t. l. 1. §. 1. 2. l. 7. ff. de confirm. tut.* ut tamen inquiri debeat, an duraverit patris voluntas, quæ durasse non creditur, si in tutore emerserit celata morum improbitas, aut inimicitiæ cum patre, vel damnosus cum fisco contractus. *l.* 8. 9. 10. *ff. de confirm. tut. l. 4. ff. de test. tut.* Cum inquisitione, si mater, vel extraneus impuberi instituto, vel pater filio naturali, cui nihil reliquit, tutorem dederit. *d. l. 4. ff. de test. tut. l. 1. §. 2. l. 2. l. 7. ff. de confirm. tut.*

7. Inqnisitio potissimum fit in hæc quatuor; an tutor bonis moribus præditus sit; an sufficientes possideat facultates; an satis habilis & industrius sit; & an non affectaverit tutelam, ac se ingesserit. arg. *l. 21. § pen. & ult. ff. de tut. & curat. dat. ab his.*

TIT. XIV.

Qui testamento tutores dari possunt.

1. Tutor dari testamento potest quilibet, cum quo testamenti factio est. *l 21. ff. de test. tut.* sive paterfamilias, sive filiusfamilias. *pr. h. t.* quippe qui in publicis causis habetur pro patrefamilias. *l. 9. ff. de his qui sui vel alien. juris sunt.* Et, si filiusfamilias tutelam gesserit, pater ejus ex administratione illâ tenetur, in solidum quidem, si tutelam agnoverit, de peculio vero, si non agnoverit. *l. 7. ff. de tutelis l. 21. ff. de admin. & peric. tut.*

2. Servus, minor, furiosus, & similes, tutores quidem testamento dari possunt, sed tutores demum tunc erunt, cum servus liber, minor major, & furiosus

tiosus similesque mentis compotes facti erunt. §. 1. 2. *h. t.* *l.* 11. *ff. de tutelis.* *l.* 10. §. 3. *ff. de test. tut.* Sed & , si ex die vel sub conditione dati sint in testamento , (quod licet) existente demum die vel conditione tutores sunt. §. 3. *h. t.* *l.* 9. §. 2. *ff. de tut. & rat. distrah.* Interim alius à magistratu datur ; quia legitimo tutori locus esse non potest, quamdiu testamentaria tutela speratur. *l.* 11. *ff. de testam. tut.*

3. Interest tamen inter servum proprium & alienum. Proprius pure dari potest, & libertas subauditur, licet adscripta non sit: alienus tantum sub conditione, cum liber erit. §. 1. *h. t.* licet & alieno servo simpliciter tutori dato fideicommissaria libertas defendi possit, quasi rogatus esset heres illum redimere, si possit, & redemtum manumittere , ut tutor sit. *l.* 10. § *ult. ff. de test. tut.*

4. Tutor certæ rei vel causæ dari nequit, quia personæ, non rei, tutor datur. §. 4. *h. t.* Potest tamen dari ad adeundam hereditatem. *l.* 9. *ff. de tut. & curat. dat. ab his.* Uti & ad administrandas res ultra centesimum lapidem ab eo loco, in quo tutor datus est, in aliâ provinciâ sitas, a quibus tutor se potest excusare. *l.* 12. *& seqq. ff de test. tut.*

5. Si quis *filiis* tutores dederit, etiam filiabus nedisse intelligitur. *l.* 16. *ff. de test. tut.* sicut & posthumis. §. *ult. h. t* *l.* 5. *ff. de test. tut.* non tamen nepotibus, cum hi non veniant filiorum appellatione. §. *ult. h. t.* nisi justâ interpretatione , id est, urgente ratione ita suadente. *l.* 84. junct. *l.* 201. *ff. de verb. signif.* quæ hic non subest , cum nepotibus vel per legitimum vel per dativum tutorem possit prospectum esse. Plane *liberorum* appellatione etiam nepotes continentur. *d.* §. *ult. h. t.*

TIT.

TIT. XX.

De legitimâ agnatorum tutelâ.

1. Legitima tutela in genere est, quæ, deficiente testamentariâ, defertur sine facto hominis ex legis dispositione. *l. 5. ff. h. t.*

2. Estque quadruplex, nempe, agnatorum, patronorum, parentum, & fiduciaria.

3. Legitima tutelâ agnatorum est, quæ ex lege 12. tab. defertur proximis agnatis, jure novo etiam cognatis: cum enim cognati æque ac agnati jure novo succedant ab intestato, justum fuit, ut, penes quos successionis est emolumentum, penes eos etiam tutelæ onus esset. *l. 1. pr. ff. h. t. de legit. tut. pr. Inst. de legit. patron. tut. nov.* 118. *cap.* 4. 5. si modo legitimæ seu perfectæ ætatis sint. *d. nov.* 118. *cap.* 5. & masculi; cum tutela plerumque virile munus sit. *l.* 16. 18. *ff. de tutelis. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Ut tamen mater & avia legitimæ tutrices esse possint, testamentariis quidem tutoribus postponendæ, sed præferendæ agnatis ac cognatis omnibus a latere venientibus: dummodo renuncient Senatusconsulto Vellejano & secundis nuptiis; ad quas si transeant contra renunciationem, ipso jure a tutelâ expelluntur. *l.* 1. 2. & *auth. seqq. C. quando mulier tut. off fungi possit.*

4. Agnati dicuntur, qui per virilis sexus cognationem conjuncti sunt; cognati in specie, qui per sexus fœminini cognationem juncti. § 1. *h. t. l.* 7. *ff. h. t.*

5. Intestatus hic dicitur, qui vel nullum fecit testamentum; vel de bonis quidem, at non de tutelis, testatus est; vel si tutor testamento datus vivo testatore sit mortuus, aut post mortem ejus, sed antequam cœpisset tutelam administrare; vel etiam postea, si nulli testamentarii contutores sint. §. 2. *h. t. l.* 11. §. 3. 4. *ff. de test. tut. l.* 6. *ff. h. t.*

6. Si

6. Si testamento datus tutor, vel etiam legitimus, semel admissus fuerit, posteaque aut excusatus aut remotus sit, non legitimo sed dativo tutori locus est. *l.* 11. §. 1. 2. *ff. de testam. tut. l.* 3. §. 8. *ff. h. t.*

TIT. XVI.

De capitis diminutione.

1. Capitis diminutio est prioris status mutatio.

2. Status triplex est; libertatis, cui servitus opponitur; civitatis, cui contraria est peregrinitas; ac familiae.

3. Hinc triplex capitis diminutio est, maxima, media, & minima. *pr. h. t.*

4. Maxima capitis diminutio est, quâ libertas, & per consequens civitas ac familia amittitur. Quod fit iis modis, quibus ex libero quis servus fieri potest. §. 1. *h. t.*

5. Media, quâ, retentâ libertate, civitas & familia amittitur: ut aquae & ignis interdictione ac deportatione. §. 2. *h. t.*

6. Minima dicitur, quâ, retentâ libertate ac civitate, sola familia mutatur: veluti emancipatione & adrogatione. §. 3. *h. t.*

7. Si quis senatu moveatur, aut alia dignitate exuatur, vel ex servo liber fiat, nullam patitur capitis diminutionem, quia nec libertatem nec civitatem nec familiam amittit. §. 4. 5. *h. t.*

TIT. XVII.

De legitimâ patronorum tutelâ.

1. Legitima patronorum tutela est, quae ex interpretatione legis 12. tabularum defertur patronis in liber-

libertos impuberes a se manumissos: quia patronis impuberum libertorum successio debetur. Si mulier manumiserit, ipsa succedit, sed alius tutor est. *h. t.*

TIT. XVIII.

De legitimâ parentum tutelâ.

1. Legitima parentum tutela est, quæ exemplo legitimæ patronorum tutelæ delata fuit patri in liberos impuberes a se emancipatos. *h. t.* Sed jure novissimo pater tanquam proximus cognatus ex ipsa lege tutor est, quia & ab intestato succedit. *nov.* 118. *cap.* 2. & 4.

TIT. XIX.

De fiduciariâ tutelâ.

1. Fiduciaria tutela est, quæ, mortuo patre vel avo tutore legitimo liberorum emancipatorum, jure suitatis defertur liberis ejus majorennibus in eosdem illos liberos impuberes. *h. t.* Sed & hæc evanuit, dum & patres post mortem avi, & fratres, & patrui tanquam proximi cognati ex ipsâ lege, sicut ad successionem, ita & ad tutelam vocantur, juxta *d. nov.* 118. *cap.* 2. 3. 4.

TIT. XX.

De Attiliano tutore.

1. Tutela dativa est, quam magistratus ex potestate, sibi specialiter lege, Senatusconsulto, aut Principis constitutione concessâ, defert. Unde & hæc tutoris datio non ordinariæ sed extraordinariæ seu legiti-

mæ

mæ jurisdictionis est. *l.* 6. §. 2. *ff. de tutelis.* ac ob id alteri mandari nequit *l.* 8. *ff. h. t. de tut & curat. dat. ab his.* Eique locus est, quoties vel testamentaria & legitima plane deficit, vel testamentaria in suspenso est ac etiamnum speratur, dum dies vel conditio pendet, vel hereditas necdum est adita, vel tutor testamentarius ab hostibus captus est. *pr. &* §. 1. 2. *h. t. l.* 11. *ff. de test. tut.*

2. Et olim quidem Romæ tutorem dabat prætor cum majore parte tribunorum plebis, ex lege Attiliâ; unde Attilianus tutor dictus; in provinciis vero præsides ex lege Juliâ & Titiâ: deinde Consules ex inquisitione secundum Claudii constitutionem: postea prætores soli sine tribunis plebis, sic ut & prætor tutelaris a Marco Antonino Philosopho creatus fuerit. *pr. &* §. 3. *h. t.* Jure vero novissimo Justinianeo tutorem dare potuit præfectus urbi, prætor, proconsul, præses, præfectus Ægypti, & legatus proconsulis. § 4. *h. t. l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t. de tut. & curat. dat. ab his.* Magistratus municipales & juridicus Alexandriæ non aliter, quam si facultates pupilli non excedant quingentos aureos; quo casu nec expectare tenentur jussionem (id est admonitionem) præsidis; cum id ante necesse esset. *d.* §. 4. 5. *h. t.*

3. Nullus tamen magistratus tutorem dare potest, nisi subjectum suæ jurisdictioni; nec pupillo, nisi ei, in quem jurisdictio competit. § 4. *h. t. l.* 3. *l.* 24. *l.* 27. *ff. h. t. de tut & cur. dat. ab his.*

4. Sive autem testamentarius sive legitimus sive dativus tutor tutelam gesserit, eâdem finitâ locus est actioni tutelæ. §. *ult. h. t.* quæ vel directa est vel contraria.

5. Actio tutelæ directa est personalis bonæ fidei, competens pupillo & ejus heredi, adversus tutorem & ejus heredem, finitâ tutelâ, ut reddat rationem administrationis, res juxta inventarium ac reliqua resti-

restituat, & dolum, latam ac levem culpam præstet. *l. 1. pr. & §. 3. ff. de tut. & rat. distrah. l. 9. l. 20. §. 1. ff. de liberat. leg. l. 13. ff. de reg. jur.*

6. Contraria actio tutelæ itidem personalis est, competens tutori & ejus heredi, adversus pupillum & ejus heredem, in genere ad id, quod sibi ratione tutelæ administratæ abest vel abfuturum est; adeoque ut, si quid de suo in usus pupilli erogavit, vel se aut bona sua pro pupillo obligavit, erogata recipiat unà cum usuris, & ipse, vel res ejus, ab obligatione vel pignoris vinculo liberentur. *§. 2. Inst. de oblig. quæ quasi ex contract. nasc. l. 1. §. 4. & ult. l. 3. §. 4. 5. & ult. ff. de contrariâ tutel. & util. act.*

7. Dolus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad alterum circumveniendum, fallendum, decipiendum adhibita. *l. 1. §. 2. ff. de dolo.*

8. Culpa generaliter accepta est omne id, quod culpari potest; sed quatenus dolo opponitur, est factum inconsultum, quo alteri nocetur.

9. Et vel lata est, vel levis, vel levissima; *l. 5. §. 2. ff. commodati. l. 44. ff. de lege Aquil.*

10. Culpa lata duplex est; alia versutiæ, alia negligentiæ.

11. Culpa lata versutiæ est, cum quis minorem curam rebus alienis, quas servare debebat, quam propriis adhibet. *l. 32. ff. depositi.*

12. Culpa lata negligentiæ est, ea negligere, quæ nec minus diligens paterfamilias in suis rebus neglecturus esset.

13. Culpa levis est, negligere ea, quæ diligens paterfamilias in rebus propriis non esset neglecturus.

14. Levissima culpa est, ea negligere, quæ diligentissimi patresfamilias non solent negligere.

15. Casus fortuitus est inopinatus rei eventus, quem nulla humana providentia prævidere vel præcavere potest.

TIT. XXI.

De autoritate tutorum.

1. Consensus triplex est, jussus, ratihabitio, & autoritas.

2. Jussus est consensus de negotio adhuc gerendo.

3. Ratihabitio est consensus, quo probatur negotium jam gestum. *l. ult. C. ad Senatusc. Maced.*

4. Autoritas est consensus de negotio præsente, seu probatio ejus quod geritur. *l. 25. §. 4. ff. de acquir. vel omitt. hered.*

5. Tutoris autoritas aliquando pupillis necessaria non est; aliquando requiritur, & sufficit; quandoque requiritur quidem, sed non sufficit; nonnunquam interposita nullius momenti est.

6. Necessaria non est tutoris autoritas I. quoties pupillus meliorem facit suam conditionem, nec alteri obligatur, veluti, si stipuletur ab alio. *pr. h. t.* vel possessionem acquirat. *l. 1. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. possess.* II. quoties ex delicto descendit obligatio; & pupillus pubertati proximus est. *§. pen. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. l. 111. ff. de reg. jur.* III. quoties pupillus ex re seu quasi contractu obligandus est. *l. 46. ff. de oblig. & act.* exceptâ aditione hereditatis, ad quam autoriatate opus est, licet hereditas lucrosa sit, ne pupillus damnum sentiat. *§. 1. h. t.*

7. Necessaria est & sufficit, si de pupillo ex vero contractu obligando agatur, sive ex uno tantum latere nascatur obligatio, dum pupillus stipulanti promittit, aut mutuum accipit. *d. pr. h. t. §. 9. Inst. de inutil. stipul.* sive mutuæ inde nascantur obligationes; quo casu, si tutoris desit autoritas, contractus claudicat, ita ut illi quidem, qui cum pupillis contrahunt, obligentur, & cogi possint stare contractui, si is pupillis expediat, pupilli vero invicem

non

non obligentur, nec adigi possint ad implementum contractus, si is ipsis damnosus sit. *d. pr. h. t.* nisi quatenus locupletiores inde facti sunt. *l. 5. ff. h. t.*

8. Necessaria est autoritas tutoris, sed non sufficit, verum insuper decreto magistratus opus est, si alienanda sint immobilia pupilli bona, vel mobilia talia, quæ servando servari possunt. *l. 1. & tot. tit. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt sine decret. non alien.*

9. Nullius denique momenti est tutoris autoritas, quoties in rem suam tutor autor fit. *§. ult. h. t. l. 7. l. ult. ff. h. t.*

10. Ut autem tutoris autoritas rite interveniat, requiritur, ut interponatur a tutore præsente, non absente per literas aut nuncium; pure, non sub conditione. *l.* 8. *ff. h. t.* in ipso negotio, non ante vel post. *§. 2. h. t. l. 9. §. 5. ff. h. t.* denique expresse & ex certâ scientiâ, in quantum sola tutoris præsentia & silentium non sufficit, si præsens ignoret, quale sit, quod contrahitur. *l. 14. ff. h. t.* Si plures ejusdem pupilli tutores sint, unius sufficit autoritas, nisi de pupillo adrogando quæstio sit. *l. 4. ff. h. t. l. ult. C. h. t.*

TIT. XXII.

Quibus modis tutela finitur.

1. Variis modis tutela finitur, I. Pubertate, quæ est anno duodecimo completo in fœminis, anno decimo quarto in masculis. *pr. h. t.* Ut tamen tutor perficere teneatur negotia durante impubere ætate cœpta. arg. *l. 5. §. 6. ff. de admin. tut.* atque etiam nova inchoare, quamdiu pupillum jam puberem factum non admonuit, ut ipse sibi curatorem petat. arg. *d. l. 5. §. 5. ff. de admin. tut.* II. Morte pupilli vel tutoris, quia tutor personæ datus fuit, & in tutore industria electa est, quæ non transit ad

heredes ejus. §. 3. *h. t.* Licet negotia per defunctum tutorem cœpta perficere heres ejus teneatur, si perfectæ ætatis, & masculus & idoneus sit. *l. 1. ff. de fidejuss. & nomin. & hered. tut.* III. Omni capitis diminutione pupilli, quia nec servus, nec peregrinus, nec filiusfamilias in tutelâ esse potest. §. 2. & 4. *h. t.* IV. Maximâ & mediâ capitis diminutione tutoris; non item minimâ, licet olim legitima tutela sic finita fuerit. §. 4. *h. t.* junct. *nov.* 118. *cap.* 4. 5. V. Existente die vel conditione, ad quam tutor datus est. §. 2. *h. t.* VI. Excusatione & remotione. §. *ult. h. t.*

TIT. XXIII.

De curatoribus.

1. Cura est vis ac potestas in capite libero ad tuenda bona ejus, qui illa propter ætatem, aut animi, vel corporis vitium tueri nequit. *pr.* & §. 3. 4. *h. t.*

2. Cura vel legitima est, vel dativa.

3. Legitima est, quæ ex lege duodecim tabularum deferebatur agnatis in furiosos & prodigos. *l. 1. l. 13. ff. de curat. furios.*

4. Dativa est, quâ magistratus curatores dant minoribus aliisque, & quidem iidem, a quibus etiam tutores dantur. §. 1. *h. t. l. 1. l. 13. ff. de curat. furios.*

5. Testamento curator a patre non datur; sed si datus sit, decreto magistratus confirmatur. *d.* §. 1. *h. t.* & jure novissimo etiam quilibet extraneus curatorem testamento dare potest rebus illis, quas minori relinquit. *novell.* 117. *cap.* 1. *pr.* & §. 1.

6. Minores autem inviti curatorem non accipiunt, nisi ad litem. §. 2. *h. t.* vel nisi tutor velit suo quondam pupillo rationes reddere. *l. 7. C. qui pet. tut.* vel minor desideret, sibi a suo solvi debitore. *l. 7. §. 2. ff. de minor. 25. annis.* Sed si suâ voluntate curatorem

rem admiserint, inviti in cura manent usque ad vicesimum quintum ætatis annum. *l.* 1. § *ult. ff. de minor. 25. annis.* nisi veniam ætatis impetraverint, quam solus Princeps, non magistratus, dat petentibus masculis viginti, fœminis octodecim annorum, probantibus, se res suas bene gerere. *tit. C. de his qui veniam ætat. impetr.* Multumque interest, utrum minores curatorem habeant, an non. Si enim curatore careant, ex omnibus contractibus efficaciter obligantur; ita tamen, ut restitui possint, si læsi sint. Sin curatorem habeant, contractus eorum sine curatore celebrati ipso jure nulli sunt. *l.* 3. *C. de in integr. restit. minor.* Nisi tantum personam suam ita obligent, ut inde rerum alienatio non sequatur; tunc enim sine curatore possunt ex stipulatu obligari. *l.* 101. *ff. de verb. oblig.* veluti nuptias aut sponsalia contrahendo. *l.* 20. *ff de ritu nupt.*

7. Dantur & curatores prodigis, furiosis, mente captis, & surdis, & mutis, & morbo perpetuo laborantibus. §. 3. 4 *h. t.*

8. Prodigus dicitur vel naturaliter, qui scilicet neque modum neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit: vel civiliter, cui propter profusionem a prætore bonis interdictum est. Et uti non ipso jure, sed demum interdicto prodigus sit, ita non ipso jure, sed demum decreto contrario prodigus esse desinit; licet ipso jure in curâ esse desinat, quamprimum decreto contrario declaratur ad sanos mores rediisse. *l.* 1. *ff. de curat. fur.* Quandoque & impuberibus curator datur ac tutori adjungitur, puta, si legitimus tutor non sit idoneus, vel fraudulenter tutelam gerat. §. 5. *h. t. l.* 9 *ff de susp. tut.* si testamento vel a magistratu datus idoneus non sit, nec tamen fraudulenter administret. *d.* § 5. *h. t.* Et si tutor non in perpetuum, sed ad tempus excusetur, in locum ejus curator datur. *d.* § 5. *h. t.* Idque, quia tutorem habenti tutor regulariter dari nequit *d.* § 5.

 Si

9. Si tutor adversâ valetudine vel aliâ necessitate tutelam gerere impediatur, actor constitui potest periculo tutoris, quoties pupillus vel absens est, vel fari nequit. §. *ult. h. t.* Si enim præsens sit & fari possit, tutoris autoritate procuratorem mandato constituet. *l.* 24. *ff. de admin. tut.* Quod tutor solus non posset, quia dominus non est. arg. *l.* 1. *ff. de procurat.*

TIT. XXIV.

De satisdationibus tutorum & curatorum.

1. Tutores, antequam administrent, inventarium tenentur conficere. *l.* 7. *ff. de admin. tut.* & cautionem præstare. *pr. h. t.*

2. Inventarium est repertorium seu descriptio omnium bonorum pupilli. Cujus confectionem solennem quidem potest pater pupilli testamento remittere. *l. ult.* §. 1. *C. arbitr. tutelâ:* sed non bonorum adnotationem, ex quâ rationes reddantur. arg *l.* 5. §. 7. *ff. de admin. tut.*

3. Cautio est securitatis præstatio. Et quadruplex est, puta, I. Satisdatio, quæ est cautio datis fidejussoribus facta. II. Pignoratitia cautio, quæ fit datis pignoribus. III. Juratoria cautio, quæ fit jurejurando interposito. IV. Nuda repromissio.

4. Satisdant tutores, rem pupilli salvam fore. *tot. tit. ff. rem pup. vel adol. salv. fore.* Non quidem regulariter testamentarii & dati ex inquisitione, quia horum fides probata est; sed soli legitimi & sine inquisitione dati. *pr. h. t.* Ut tamen unus ex pluribus tutoribus testamentariis vel ex inquisitione datis possit reliquis offerre satisdationem, ut vel ipsi satisdent & soli administrent, vel patiantur hunc satisdare & administrare. §. 1. *h. t.* Licet hanc oblationem reliqui inviti admittere haud teneantur, si velint omnes gerere, nec cupiant succedanei esse alieni periculi, atque

que

que etiam audiendi sint, si desiderent, tutelam inter se dividi vel in partes vel in regiones. *l.* 3. §. *pen.* & *ult. l.* 4. *ff. de admin.* & *peric. tut.*

5. Cavetur autem datis fidejussoribus, ut, si tutores solvendo non sint, pupillus fidejussores convenire queat. Quod si nec a fidejussoribus indemnitatem consequatur, actio tandem subsidiaria ei datur.

6. Quæ est actio personalis, competens pupillo, contra magistratus, non majores, sed minores; & eos qui cautionem exigere solent, ac eorum heredes, quoties vel non idoneos dederunt tutores, vel nullo modo aut non idoneè curarunt caveri, ad id quod propter tutorum aut fidejussorum inopiam ab iis servare pupillus non potuit. §. 2. & 4. *h. t. l.* 1. §. 11. & *seqq. ff. de magistrat. conven.*

TIT. XXV.

De excusationibus tutorum.

1. Munus aliud publicum est, aliud privatum.

2. Publicum est, quod quis necessario obit, lege, more imperiove ejus, qui jubendi potestatem habet. *l.* 214. *ff. de verb. signif.*

3. Privatum, ad quod subeundum nemo invitus compelli potest. Quale est munus procuratoris.

4. Publica munera rursus vel utilitate publica sunt, vel solâ autoritate.

5. Utilitate publica dicuntur, quæ primario spectant ad utilitatem publicam; veluti munus decurionatus, legationis.

6. Autoritate publica sunt, quæ autoritate publicâ primario in utilitatem privatorum sunt introducta puta munus tutorum, curatorum, advocatorum &c.

7. Adhæc munera vel patrimonialia sunt, quæ requirunt impensam patrimonii: vel personalia, quæ nihil præter industriam personæ desiderant: vel mixta,

Yrpanoi Causa

quæ ſimul impenſam patrimonii & induſtriam exigunt. *l. ult. pr. & §. 1. 18. 26. ff. de muner. & honor.*

8. Cum autem tutela munus perſonale, & publicum ſit non utilitate ſed autoritate, unuſquiſque, qui idoneus eſt, invitus compelli poteſt ad tutelam obeundam, niſi ex aliquâ juſtâ causa ſe poſſit excuſare.

9. Excuſatio eſt juſtæ cauſæ allegatio, quâ quis tutelæ vel curæ munus deprecatur.

10. Juſtæ excuſationis cauſæ plures recenſentur; puta, I. numerus liberorum Romæ trium, quatuor in Italiâ, & quinque in provinciis. Modo naturales & legitimi ſimul ſint, & adhuc vivant: non enim proſunt naturales tantum. *l. 2. § 3. ff. h. t.* nec adoptivi; nec mortui; niſi in acie ceciderint, qui in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *pr. h. t.* Nepotes ex filio mortuo proſunt, ut in patris ſui locum ſuccedant, & pro uno habeantur. *d. pr. h. t.*

11. II. Adminiſtratio rerum fiſci. *§. 1. h. t.* vel Principis. *l. 41. ff. h. t.* uti & exactio tributorum. *l. 10. C. h. t.*

12. III. Abſentia reipublicæ causâ: qualiter abſentes a ſuſceptâ tutelâ excuſantur tantum durante abſentiâ, a ſuſcipiendâ inſuper anni habent vacationem, ex quo deſierunt abeſſe. *§. 2. h. t.* Excuſantur & comites eorum ac miniſtri, qui intra ſtatutum numerum ſunt. *l. 41. § 2. ff. h. t.* uti & qui in perpetuum exilium miſſi ſunt. *l. 28. § ult. l. 29. ff. h. t.* quique ex reſcripto Imperatoris domicilium alio tranſtulerunt. *l. 12. §. 1. ff. h. t.*

13. IV. Poteſtas, dum quis magiſtratus creatur. *§ 3 h. t.* ſive major, ſive municipalis. *l. 6. § 16. ff. h. t.* idque tantum ratione tutelæ ſuſcipiendæ; ſuſceptam enim non deſerit. *d. §. 3. h. t.* dignitas ſenatoria a plebeji quidem, at non ſenatorii pupilli tutelâ excuſat. *l. 15. §. 2, 3. ff. h. t.*

14. V.

14. V. Lis super omnibus bonis, vel maxima eorum parte, vel hereditate: non super re singulari; quo casu curator ad litem istam pupillo dandus foret §. 4. *h. t.* §. *ult. Inst. de autor. tut.*

15. VI. Tria onera tutelæ vel curæ non affectatæ, quamdiu administrantur. §. 5. *h. t.* Ut tamen quandoque una admodum gravis & laboriosa excuset a secundâ. *l.* 31. §. *ult. ff. h. t.* & vice versâ tres non excusent, si admodum leves sint, vel una brevi sit expiratura. *l.* 15. §. 15. *l.* 17. *pr. ff. h. t.*

16. VII. Paupertas, si quis doceat, se oneri injuncto imparem esse; quod judex arbitratur. §. 6. *h. t.*

17. VIII. Adversa valetudo, propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest. §. 7. *h. t.*

18. IX. Imperitia literarum, conjuncta cum imperitiâ negotiorum. §. 8. *h. t. l.* 6. §. *ult. ff h. t.*

19. X. Inimicitiæ capitales cum patre pupilli exercitæ, si reconciliatio non intervenerit. §. 11. *h. t.* quo & pertinet, si quis statum controversiam a patre pupilli passus sit. §. 12. *h. t.* Leviores inimicitiæ non excusant, nisi inimicitiarum causâ tutor scriptus sit. §. 9. *h. t.*

20. XI. Septuaginta annorum ætas. §. 13. *h. t.* minores 25. annis excusatione non indigent, uti nec milites armati; cum prohibeantur tutores esse. *d.* §. 13. 14. *h. t.*

21. XII. Artes liberales, grammaticæ rhetoricæ, & medicinæ, si quis in patriâ suâ has artes exerceat, & intra statutum numerum sit. §. 15. *h. t. l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* Excusat & Philosophia, sine numeri restrictione, *l.* 6. §. 5. *&* 7. *ff. h. t.* Reliquæ artes non excusant, veluti geometria, & similes. *l.* 22. *ff. h. t.*

22. Proponendæ sunt justæ causæ excusationis intra dies quinquaginta, non utiles, sed continuos, ex quo quis scivit, se tutorem datum. §. 16. *h. t.* probandæ vero intra menses quatuor a die nominationis. *l.* 38. *ff. h. t.* Si rejectæ fuerint, appellari demum potest;

a nominatione enim frustra appellatur; in quo tutela a cæteris muneribus diversa est, *l.* 1. § 1. 2. *ff. quando appelland. sit.*

23. Cæterum tutor personæ datus, etiam universo ejus patrimonio datus creditur. §. 17. *h. t.* Ut tamen excusare se possit ab administratione rerum ultra centesimum lapidem in aliâ provinciâ sitarum; quibus tunc alius tutor dandus est. *l.* 21. §. 2. *ff. h. t.* Et qui tutelam gessit, invitus non tenetur ejusdem pupilli curam gerere. §. 18. *h. t.* nisi libertus gesserit tutelam liberorum patroni. *l.* 5. *C. h. t.* uti è contrario maritus ne volens quidem curator uxoris suæ potest constitui. §. *pen. h. t. l.* 4. *C. h. t.*

24. Si quis ex falsis causis meruerit excusationem, ipso jure non est liberatus onere tutelæ. §. *ult. h. t.*

TIT. XXVI.

De suspectis tutoribus.

1. Suspecti tutoris coërcitio ex lege 12. tabularum descendit. *pr. h. t.*

2. Suspectus est, qui non ex fide tutelam gerit. Quasi suspectus, qui non ex fide tutelam gesturus præsumitur. §. 5. *h. t.*

3. Remotio suspecti tutoris æque ac datio, legitimæ jurisdictionis est, & illis solis competit, quibus id lege datum; qualis Romæ prætor, in provinciis præsides & legatus proconsulis. §. 1. *h. t.* Licet favore pupillorum cognitio suspecti tutoris alteri possit demandari *l.* 4. *ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.*

4. Removeri possunt tanquam suspecti, omnis generis tutores, testamentarii, dativi, legitimi, etiam parentes & patroni, modo horum famæ parcatur. §. 2. *h. t.* Difficilius tamen removendi legitimi, sed potius iis adjungendus est curator. *l.* 9. *ff. h. t.*

Postu-

5. Postulatio, seu accusatio, seu actio suspecti tutoris quasi publica est, & omnibus patet; ad eamque etiam fœminæ admittuntur, puta, mater, avia, soror, & nutrix, atque etiam extraneæ mulieres, quæ pietate ductæ, sexus verecundiam non egredientes, ad hoc procedunt. §. 3. *h. t.* Et licet pupilli non possint tutores suos suspectos postulare, minores tamen possunt suos curatores, ex consilio necessariorum seu propinquorum. §. 4. *h. t.* Sed & servi pupillares audiendi prætorem instruentes de fraudibus tutoris, *l. ult. ff. h. t.* Denique nemine accusante prætor potest repellere eum, qui ex apertissimis rerum argumentis suspectus apparet. *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.*

6. Intentanda hæc postulatio, durante tutelâ, sic ut & evanescat, ubi illa finitur, quia tendit ad remotionem §. 8. *h. t.*

7. Effectus postulationis est, quod interim tutori adimatur administratio. §. 6. *h. t.* & si convictus sit, removeatur ab ipsâ tutelâ, ac infamis fiat, si removeatur ob dolum, aut latam culpam, quæ effectu dolus est; non item, si ob levem. §. 6. *h. t.* junct. *l.* 226. *ff. de verb. signif. l.* 32. *ff. depositi.*

8. Coërcetur insuper aliis modis: nam si latitet, ne pupillo alimenta decernantur, mittitur pupillus in bona ejus. §. 9. *h. t.* Si præsens per mendacium neget, alimenta pupillo ob paupertatem decerni posse; vel datâ pecuniâ tutelam redemerit, vel, cum libertus esset, fraudulenter in tutelâ liberorum patroni sui versatus sit, ad præfectum urbi remittitur puniendus. §. 10. 11. *h. t.* quia ad præfectum urbi criminum omnium vindicatio pertinebat. *l.* 1. *pr.* & §. 4. *ff. de offic. præf. urbi.*

9. Tutor suspectus non evitat remotionem per oblationem satisdationis; quia satisdatio tutoris propositum malevolum non mutat; sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat. §. *ult. h. t.*

LIBER

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

De rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio.

1. Res, prout constituit secundum juris objectum, est omne id de quo jus dicitur. Jus namque dicitur inter personas, de rebus, auxilio actionum.

2. Res dividuntur, quod sint vel communes, vel publicæ, vel universitatis, vel nullius, vel singulorum.

3. Vel, quod eodem redit, res aut nullius sunt seu extra patrimonium, aut alicujus seu in patrimonio.

4. Res nullius sunt vel divini, vel humani juris.

5. Res humani juris extra patrimonium sunt res jure gentium communes; quæ scilicet usu sunt omnium, proprietate nullius, cedunt tamen primo occupanti; ut aër, aqua profluens, mare, & littora maris. Littus vero est, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit, §. 1. 3 5. *h. t.*

6. Hinc quilibet in mari navigare & piscari potest. *l.* 13. § 7. *ff. de injuriis.* ad littus piscandi vel alterius rei gratiâ accedere; casam in littore ædificare; sic ut & partis illius, cui casa imposita, dominus fiat, ac maneat, donec casa destructa fuerit, quo facto, littus iterum pristinam recipit naturam, ac nullius fit. § 1. & 5. *h. t. l.* 4. *pr. l.* 5. §. 1. *l.* 6. *ff. h. t. de divis. rerum.*

7. Res nullius sed divini juris sunt vel sacræ, vel religiosæ, vel sanctæ. *l.* 6. § 2. *ff. h. t.*

8. Res sacræ dicuntur, quæ rite per Pontificem vel Principem Deo consecratæ sunt. §. 8. *h. t. l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Privatâ autoritate quisque quidem rem Deo de-

devovere potest, ut persona ejus voto obligetur; sed ex solo voto res sacra non fit. *l. 2. ff. de pollicitat.*

9. Res sacræ alienari nequeunt; præterquam ad alimoniam pauperum, ad redemtionem captivorum, ad exsolvendum æs alienum ecclesiæ. §. 8. *h. t. l. 21. & auth. præterea C. de sacros. eccles.*

10. Æde sacrâ destructâ, fundus tamen sacer manet, favore religionis. *d.* §. 8. *h. t.*

11. Religiosæ res sunt, quas quisque autoritate privatâ facit, mortuum inferendo in locum proprium, aut alienum domino permittente. In locum communem purum invito socio inferre non licet; in commune sepulchrum licet. Si alius proprietatem, alius usumfructum loci habeat, nec proprietarius invito fructuario, nec fructuarius invito proprietario inferre potest. §. 9. *h. t.* Si pluribus in locis cadaver sepeliatur, solus is locus religiosus fit, in quo caput reconditum est. *l. 44. ff. de religiosis.*

12. Cenotaphium, seu vacuum sepulchrum, non religiosus, sed purus locus est. *l. 6. § ult. l. 7. ff. h. t. de divis. rer.*

13. Res sanctæ sunt, quæ sanctione aliqua ab injuriis hominum defensæ ac munitæ sunt, ut legati. *l. 8. pr. & §. 1. ff. h. t. de rer. divis.* muri & portæ civitatis, sive Romæ, sive municipiorum. §. 10. *h. t. l. 8. §. 2 ff. h. t.*

14. Sanctio est ea legis pars, quâ pœna delinquentibus infligitur. *d.* §. 10. *h. t.* Pœna vero capitis in violatores murorum ac legatorum constituta fuit. *l. ult. ff. h. t. de rer. divis. l. ult. ff. de legation.*

15. Res alicujus, seu in patrimonio, vel plurium sunt, vel singulorum. Res plurium vel publicæ sunt, vel universitatis.

16. Publicæ, quæ jure dominii ad totum populum pertinent; ut portus, & flumina pene omnia. §. 2. *h. t. l. 4. §. 1. ff. h. t. de divis. rer.* nam & flumina

quæ.

quædam privata sunt, quæ scilicet perennia non sunt; sed æstate exarescunt. *l.* 1. §. 3. 4. *ff. de fluminib.*

17. In flumine & portu publico quilibet navigare & piscari potest. §. 2. *h. t. l. un. ff. ut in flum. publ. navig liceat.* Licet & ex flumine publico aquam ducere, quoties illud nec navigabile est, nec aliud navigabile facit: alioquin permissu Principis opus est. *l.* 2. *ff. de flumin.*

18. Ripa fluminis est, quæ continet flumen plenissimum. *l.* 1. §. 5. *l.* 3. §. 1. 2 *ff. de fluminib.* & usu quidem publica est, verum proprietate ad eos pertinet, qui prope ripam prædia possident. §. 5. *h. t.* in quo a littore differt, quod proprietate nullius est. *d.* §. 5.

19. Res universitatis sunt, quæ jure dominii ad hominum universitatem pertinent, ut theatra, templa, stadia, fora, basilica, & alia his similia. §. 6. *h. t.*

20. Universitas hic nihil aliud est, quam societas vel collegium hominum. Licet alioquin generalius sit corpus ex distantibus capitibus, aut tignis cohærentibus, ut grex, ædificium. §. 18. *Inst. de legatis.* Imo & hereditas & peculium universitas rerum est. Licet autem universitas ab uno capite nequeat inchoari, tamen ad unum recidere & in uno conservari potest jus & nomen universitatis. *l.* 7. §. *ult. ff. quod cujusque univers. nomine.* Plane, si quid universitati debeatur, singulis non debetur, nec, quod universitas debet, singuli debent. *l.* 7. §. 1. *ff. quod cujusque univ. nom.*

21. Res singulorum dicuntur, quæ sunt in privato cujusque dominio.

22. Circa res autem acquiri potest vel jus in re, vel jus ad rem.

23. Jus in re est, quo res nobis est affecta seu devincta.

24. Jus ad rem, quo persona nobis ad dandum, faciendum, vel præstandum est obligata; adeoque est obligatio.

Jus

25. Jus in re quintuplex est; puta, jus dominii in specie seu proprietatis; jus servitutis; jus possessionis; jus pignoris; & jus hereditatis. *l. 3. §. 12. ff. ad exhib. arg. l. 7. C. de petit. hered.*

26. Dominium in specie est jus; quo res nostra est.

27. Et vel plenum est, vel minus plenum.

28. Plenum dicitur, quoties quis proprietatem & usumfructum rei habet.

29. Minus plenum, cum quis nudam habet proprietatem, usufructu penes alium existente.

30. Est & dominium vel directum; quod retinent illi, qui in emphyteusin aut feudum concesserunt: vel utile, quod habent illi, quibus res in emphyteusin aut feudum data est.

31. Aliud insuper dominium civile est, aliud naturale. Quâ ratione maritus est dominus dotis civiliter, mulier naturaliter. *l. 30. C. de jure dot.*

32. Modi acquirendi dominii sunt plurimi, partim ex jure gentium, partim ex jure civili.

33. Ex jure gentium modi acquirendi dominii commode ad tria capita reduci possunt, scilicet, occupationem, accessionem, traditionem.

34. Occupatio est justa apprehensio rerum corporalium, animo domini facta. Habetque locum circa res nullius; ac viget regula; quod nullius est, naturali ratione primo occupanti cedit. §. 12. *h. t. l. 3. ff. de acquir. rer. domin.*

35. Huc pertinet venatio, piscatio, aucupium; capta ab hostibus, inventa in littore, thesaurus, res pro derelictis habitæ.

36. Venari & aucupium instituere quisque potest in loco privato vel publico, proprio vel alieno, si modo dominus loci in id consentiat. Quod si eo prohibente alius ingressus fuerit, injuriarum tenetur; licet feram captam, tanquam adhuc nullius, suam faciat. §. 12. *h. t. l. 13. §. ult. ff. de injuriis.* Licet & venari in alienis sylvis circumseptis, sicut piscari in aliena

alieno lacu vel ſtagno. *l.* 3. §. 14. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* niſi & hic dominus prohibeat. *d. l.* 13. §. *ult. in fine. ff. de injuriis.* At in alienis vivariis venatio permiſſa non eſt; nec piſcatio in alienis piſcinis: quia animalia & piſces iis incluſi non ſunt amplius nullius, ſed alicujus. *l.* 3. §. 14 *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Habet autem locum venatio & aucupium in animalibus tantum feris, ſeu in naturali libertate relictis. §. 12. *h. t. l.* 1. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* uti & a quovis occupari poſſunt favi per apes feros facti. §. 14. *h. t.* In manſuefactis, quorum ſcilicet fera quidem natura eſt, ſed quæ ire vel evolare & redire ſolent, non aliter, quam ſi conſuetudinem revertendi deſeruerint; veluti in apibus, columbis, pavonibus, cervis ita manſuetis ut in ſylvam eant & redeant. §. 14. 15. *h. t. l.* 8. §. 1. *ff. familia erciſc. l.* 3. §. 15. *ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* In manſuetis, veluti ovibus, gallinis, anſeribus nullo modo. §. 16. *h. t. l.* 44. *ff. de acquir. rer. domin.* Et qui ſciens occupat animalia, venationem aut aucupium non admittentia, furti reus eſt. *d.* §. 16. *h. t. d. l.* 8. §. 1. *ff. famil. erciſc.*

37. Fera capta intelligitur, non, cum vulnerata, ſed, cum naturaliter apprehenſa eſt. §. 13. *h. t.* Ac capta tamdiu noſtra manet, quamdiu cuſtodiâ noſtrâ coërcetur: ſed ſi vel oculos noſtros effugerit, vel ita ſit in conſpectu noſtro, ut difficilis ſit ejus perſecutio, noſtra eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit. §. 12. *h. t.*

38. Res ab hoſtibus captæ, ſi immobiles, fiſco cedunt, qui tamen eas veteranis aſſignabat aliquando, aliquando priſtinis relinquebat poſſeſſoribus tributo impoſito: niſi antea fuiſſent civium Romanorum, tunc enim ad priſtinos dominos jure poſtliminii revertebantur. Sin mobiles, cedunt capientibus, ſic ut & ipſi hoſtes capti capientium ſervi efficiantur. §. 17. *h. t.* Si tamen mobilia capta ſint per milites

in

in ministerio publico occupatos, dum ad ea intercipienda missi sunt, non capientibus singulis sed fisco applicantur.

39. In littore inventa cedunt inventori; si modo apprehenderit & loco moverit §. 18. *h. t.* arg. *l.* 3. §. 3. *in fin. ff. de acq. vel amitt. poss.* Sed si inveniantur in littore deperdita, aut bona naufragorum, aut talia, quæ navis levandæ gratiâ fuerant in tempestate ejecta, occupanti non acquiruntur, sed pristinis dominis restituenda sunt. §. *ult. h. t.*

40. Thesaurus proprie non est, cujus dominus apparet, & ideo domino restitui debet. *l.* 44. *ff. de acquir. vel amitt. possess. l.* 67. *ff. de rei vindic.* Sed verus thesaurus est vetus depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat. *l.* 31. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* qui in totum cedit inventori, si in loco proprio, vel sacro, vel religioso inventus sit. Inventus in loco alieno, vel fisci, vel Cæsaris, vel civitatis, non datâ operâ sed casu, pro parte dimidia cedit inventori, pro alterâ parte domino loci, vel fisco, vel Principi, vel civitati. Sin datâ operâ, nihil inventori, sed totum domino, fisco & similibus acquiritur. §. 39. *h. t.* Sicut & totus fisci est, si per artes magicas inventus sit. *l. un. C. de thesauris.*

41. Res pro derelictis habitæ dicuntur, quas dominus eâ mente abjecit, ut eas in numero rerum suarum esse nolit, quæ statim occupantis fiunt, tanquam nullius. §. *pen. h. t.* Si is pro derelicto habuerit, qui dominus non est, occupans non statim, sed demum per usucapionem dominus fit. *l.* 4. *ff. pro derelicto.*

42. Accessio est modus acquirendi dominii, quo res alterius fit, quia rebus ejus accedit. Quid autem principale, quod accessorium sit, non ex eo dijudicandum, quid magis aut minus pretiosum sit, sed quid alterius rei ornandæ causâ accedat seu adhibea-

tor. *l.* 19. §. 13. *ff. de auro & arg. leg.* de quo si non constet, major pars ad se trahit minorem, aut pretiosior minus pretiosam. *l.* 27. §. *ult. ff. de acquir. rer. domin.*

43. Accessio hæc vel naturalis est, vel industrialis, vel mixta.

44. Ad naturalem plura reducuntur, puta. I. Fœtura animalium; quicquid enim ex animalibus meis, (fœmellis, non maribus) nascitur, meum est. §. 19. *h. t. l.* 5. §. 2. *ff. de rei vind.* nisi alius meum animal bonâ fide possideat, vel in eo habeat usumfructum. *l.* 28. *ff. de usuris.*

45. II. Alluvio; quæ est incrementum latens, quo quid ita paulatim agro nostro adjicitur, ut intelligi nequeat, quantum quoquo temporis momento accedat. §. 20. *h. t.* & locum habet in agris non limitatis, qui & arcifinii dicuntur, ac fluminibus; non item in limitatis, aut stagno vel lacu. *l.* 12. *l.* 16. *ff. de acquir. rer. domin.* Si quid fundo fructuario alluat, ususfructus ejus fructuario, proprietas proprietario cedit. *l.* 9. §. 4. *ff. de usufructu.*

46. III. Appulsio vel avulsio; cum vi fluminis pars terræ avulsa ad alienum defertur agrum: quæ non statim, sed demum postquam coaluit, seu unitatem cum agro fecit, agri illius domino acquiritur. §. 21. *h. t. l.* 9. §. 2. *ff. de damno infecto.*

47. IV. Insula in flumine nata; quæ si in medio flumine nascatur, iis cedit, qui ab utrâque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque fundi; sin alteri parti proximior sit, tota est eorum, qui ab eâ parte prope ripam prædia possident. §. 22. *h. t.* Si modo prædia non limitata sint, & insula fundo fluminis hæreat. Nam si limitata, insula primo occupanti cedit. *l.* 1. §. 6. *ff. de fluminibus.* Si ipsa insula natatilis sit, publica propemodum atque ipsius fluminis insula est. *l. pen.* §. 2. *ff. de acquir. rer. domin.* Si flumen agrum aliquem

quem cingens, eundem faciat circumluvium, ager ejus manet, cujus ante fuit. §. 22. *in fine h. t.* Insula vero in mari nata occupantis est. *d.* §. 22.

48. V. Alvei fluminis mutatio; quo facto, alveus derelictus iis cedit, qui prope ripam prædia possident; novus vero publicus esse incipit. Quod si post aliquod tempus novus alveus derelinquatur, ad pristinos dominos haud revertitur, sed itidem illis cedit, qui prope ripam prædia possident. §. 23. *h. t.* Diversum est, si fundus tantum inundatus sit; non enim inundatio dominium mutat. §. 24. *h. t.* ex ratione *l.* 1. §. 5. *ff. de fluminib.* licet durante inundatione dominii jura exerceri nequeant. *l.* 23. *ff. quib. mod. usufr. amitt.*

49. Industrialis quoque accessionis plures modi sunt; videlicet I. Specificatio, seu novæ speciei confectio; ubi si quis novam speciem fecerit partim ex suâ partim ex alienâ materiâ, species nova specificatoris est. §. 25. *in fine h. t.* Si tantum ex alienâ materiâ, si quidem ex domini voluntate, nova species ejus fit, cujus nomine facta est. *l.* 25. *ff. de acquir. rer. domin.* sin sine domini voluntate, videndum, an nova species ad priorem ac rudem materiam reduci nequeat, quo casu specificatoris est; ut si ex alienis uvis aut olivis vinum aut oleum expressum sit: nam si ad rudem materiam reduci possit species nova, soli materiæ domino cedit; veluti, si quis ex alieno auro, argento, vel ære scyphos fecerit. §. 25. *h. t.*

50. II. Intextura: si quis enim alienam purpuram suo panno intexuerit, purpura panno cedit, sed purpuræ domino contra eum, qui surripuit, furti actio & condictio furtiva datur, non rei vindicatio, quatenus res extincta vindicari nequit. §. 26. *h. t.* Ut tamen extrinsecus detur vindicatio ad æstimationem adversus eum, qui sciens alienam purpuram suo vestimento intexuit, tanquam talem, qui dolo malo possidere desiit, & ita civiliter pro possessore habe-

tur. arg. *l. 27. §. 3. ff. de rei vind. l. 1. in fine. l. 2. ff. de tigno juncto.*

51. III. Confusio duarum materiarum liquidarum, aut liquefactarum, sive ejusdem sive diversi generis, veluti mel & vinum, aut diversi generis metalla. Quæ si voluntate dominorum fiat, commune efficitur, quod confusum est, uti & si casu, nec materiæ confusæ a se invicem separari possint: tunc enim ex necessitate naturæ utrique domino pars alienæ rei vice mutuâ, & quasi mutuâ accessione acquiritur. Sin secerni queant, quisque materiæ suæ dominus manet. Quod si unius facto confusæ sint, adhuc confusum pro ratâ commune est, quoties ejusdem generis res confusæ sunt, sin generis diversi, sic ut separari nequeant, atque ita nova species inde nata sit, solius confundentis est, ut, si quis suum mel & alienum vinum confundens, mulsum faciat. §. 27. *h. t. l. 5. §. 1. ff. de rei vind.* junct. §. 25. *in fine. h. t.* Commixtio aridorum proprie accessionem non habet: si enim voluntate dominorum fiat, id, quod mixtum est, ex voluntate dominorum commune efficitur: sin casu vel facto unius, quisque suæ rei dominus manet; uti id in frumentis duorum commixtis accidit, & ob id in rem actio pro modo frumenti cujusque competit; sed quia difficilis separatio est, singulis pro ratâ frumentum commixtum adjudicari debet, arbitrio judicis factâ frumenti cujusque æstimatione. §. 28. *h. t.*

52. IV. Inædificatio. Circa quam regula est, inædificata solo cedere: sive quis ex alienâ materiâ in suo solo, sive ex suâ materiâ in alieno solo ædificet. §. 29. 30. *h. t.* Si tamen ex alienâ materiâ ædificaverit in suo solo, domino materiæ competit actio de tigno juncto ex l. 12. tabul. in duplum pœnale mixtum, adversus jungentem bonâ fide; in duplum mere pœnale contra jungentem malâ fide, sic ut post duplum solutum adhuc tignum extrinsecus, id est,

in sui æstimatione vindicari possit. Ipsum enim tignum eximi, lege 12. tabularum vetitum, ne urbs ruinis deformetur. *d. §. 29 h. t. l. 23. §. 6. ff. de rei vindic. l. 1. in fine & l. 2. ff. de tigno juncto.* Contra, si in alieno solo ædificaverit ex suâ materiâ, si quidem sciens, seu malâ fide, amittit dominium materiæ, nec pretium recuperat: sin ignorans, seu bonâ fide, & adhuc possideat, retentione & doli exceptione repellere potest dominum soli, vindicantem solum cum inædificatis, donec impensas restituerit; sed si possidere desierit, & ita exceptione careat, nullam pro impensis actionem habet. *l. 33. in fine ff. de condict. indeb.*

53. V. Implantatio & satio. Implantata enim & sata solum sequuntur; si modo radices egerint implantata; quia æquum, plantam ejus esse, ex cujus solo per radices nutritur. §. 31. 32. *h. t.* Si in confinio arbor plantata, communis est. *d.* § 31. nisi radices plerasque immiserit in terram vicini, tunc enim ejus est. *d.* §. 3. uti vice versâ, si radices plerasque immiserit in terram plantantis, ejus propria manet. *l. 6. §. ult. ff. arbor. furt. cæs.* Sed qui alienum fundum suâ impensâ consevit, ad exemplum ædificantis in alieno impensas per exceptionem doli recuperat. §. 32. *h. t.* Et is, cujus arbor in alieno plantata coaluit, utilem habet in rem actionem pro arbore aut pretio ejus. *l. 5. §. 3 ff de rei vind.*

54. VI. Scriptura seu literæ; quæ licet aureæ sint, chartæ cedunt. §. 33 *h. t.* Si tamen quis suas rationes aut carmen in alienâ scripserit chartâ, in factum actionem ad exhibendum habet. *l. 3. §. 14. ff. ad exhib.*

55. VII. Pictura. Quæ secundum naturam cedit regulariter materiæ cui imposita, veluti, parieti, aut tabulato. Si tamen pretiosissima pictura vilissimæ tabulæ sit imposita; jure singulari tabula picturæ cedit. §. 34. *h. t.* sed ita, ut domino tabulæ compe-

tat

tat utilis tabulæ vindicatio; etiam quandoque furti actio, si tabula furto subducta fuerit. *d.* §. 34.

56. Ad mixtam accessionem fructus pertinent; qui vel naturales sunt, vel industriales, vel civiles.

57. Naturales, qui sponte sine curâ & culturâ hominum proveniunt; ut poma, sylva cædua. *l.* 45. *ff. de usuris.*

58. Industriales, qui curâ ac culturâ hominum accedente producuntur, ut segetes. *d. l.* 45.

59. Civiles, qui non naturâ, sed jure percipiuntur; ut pensiones, usuræ. *l.* 62. *ff. de rei vind.*

60. Sed & secundo fructus vel pendentes sunt, vel extantes, vel consumti, vel percipiendi.

61. Pendentes dicuntur, qui necdum a solo sunt separati; & hi pars soli esse censentur. *l.* 44. *ff. de rei vind.*

62. Extantes, qui jam a solo separati asservantur.

63. Consumti, qui desierunt existere.

64. Percipiendi fructus sunt, qui licet percepti non sint, honeste tamen a diligente patrefamilias percipi potuerunt. *l.* 62. §. 1. *ff. de rei viud.*

65. Bonæ fidei possessor (qui scilicet putat se dominum esse) omnes fructus ante litem contestatam consumtos lucratur, sive naturales, sive industriales, sive civiles, nec domino rem vindicanti restituit alios, quam tempore litis contestatæ extantes, ac postea perceptos, licet ex consumtis locupletior factus sit. §. 35. *h. t.* §. 2. *Inst. de offic. jud. l.* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* nisi conveniatur petitione hereditatis. *l.* 25. §. 11. *ff. de petit. hered.* quia fructus augent ipso jure hereditatem. *l.* 9 *C. famil. ercisc.* vel nisi sit possessor bonæ fidei, sed carens justo titulo; qualis solos industriales, non item naturales lucratur. *l.* 45. *ff. de usuris.* At malæ fidei possessor (qui scit rem a se possessam alienam esse) nullos omnino fructus lucratur; sed tum extantes, tum consumtos, tum percipiendos restituere tenetur domino rem vindicanti. §. 35. *h. t.* §. 2.

Inst.

Inst. de offic. jud. l. 62. pr. & §. 1. ff. de rei vind.

66. Fructuarius quoque ac colonus fructus suos facit: differunt tamen a bonæ fidei possessore, ut & inter se: nam possessor bonæ fidei statim fit dominus fructuum, quam primum ab eo, vel ab alio, vel casu, a solo separati sunt; at fructuarius non aliter, quam si ipse eos perceperit, vel alius ejus nomine. *l. 13. ff. quib. mod. usufr. amitt.*

67. Possessor bonæ fidei revocabile tantum fructuum acquirit dominium, donec consumserit. Fructuarius solâ perceptione irrevocabile; sicut & colonus. Qui tamen colonus fructus pendentes transmittit ad heredes: quod in fructuario secus est. §. 36. *h. t.* junct. §. *ult. Inst. de locat.*

68. In pecudum fructu fœtus, lac, pilus, & lana est, at partus ancillæ in fructu non est. §. 37. *h. t.* Fœtus tamen respectu fructuarii gregis aut armenti ita demum in fructu est, si integro grege nascatur; quia, mutilato grege, fructuario incumbit ex fœtu seu agnatis in locum capitum deficientium alia substituere. §. 38. *h. t. l. 68. l. 69 l. 70. §. 3 ff. de usufructu.*

69. Traditio est de manu in manum datio seu translatio possessionis.

70. Per traditionem ut transeat dominium, sive rerum mobilium, sive prædiorum, eorumque vel provincialium, vel Italicorum (inter quæ jure novo nulla differentia est) requiritur. I. Ut tradens sit dominus vel saltem domini voluntate tradat, veluti procurator habens speciale mandatum, vel generale cum libera administratione §. 42. 43. *h. t.* II. Ut habeat voluntatem transferendi dominii. §. 40. *h. t.* quam non habet, qui rem suam per errorem tradit tanquam alienam. *l. 35. ff. de acquir. rer. domin.* III. Ut habeat alienandæ rei potestatem: unde frustra tradit pupillus aut prodigus sine tutoris aut curatoris auctoritate; frustra quoque res sacra, sancta, religiosa, & simi-

les. IV. Ut adsit causa habilis transferendi dominii, ut emtio, donatio, legatum. V. Ut fiat acceptatio per eum, in quem res transferenda est. VI. Ut in venditione pretium sit numeratum, vel de eo fides habita. §. 41. *h. t.*

71. Est autem traditio vel vera, vel ficta.

72. Vera traditio est, quâ res corporalis mobilis, vel immobilis naturaliter transfertur datione de manu in manum, vel inductione in possessionem.

73. Ficta est, quâ rei traditio fingitur interposita, quæ vere non intervenit.

74. Et hæc iterum vel traditio brevis manus est, vel traditio symbolica, vel traditio longæ manus.

75. Traditio brevis manus dicitur, quâ res ex aliâ causâ prius tradita, ex novâ causâ rursus tradita fingitur. §. 44. *h. t.*

76. Traditio symbolica est, quæ fit per symbolum seu signum externum, traditionis loco interpositum. Quo modo clavibus horrei prope horreum traditis, merces ibi reconditæ censentur traditæ. §. 45. *h. t. l.* 74. *ff. de contrah. emt.*

77. Traditio longæ manus est, cum res mihi acquirenda jussu meo in conspectu meo ponitur. *l.* 79. *ff. de solution.*

78. Missilia si a magistratu, vel Principe in vulgus spargantur, initio inspecto traditio est, at exitu considerato est occupatio, dum illa primo occupanti cedunt. §. 46. *h. t.* Qualis missilium sparsio jure medio vetita fuit. *l.* 2. *C. de consulibus.* at jure novissimo rursus cum aliquâ restrictione permissa. *nov.* 105. *cap.* 2. §. 1.

TIT.

TIT. II.

De rebus corporalibus & incorporalibus.

1. Altera rerum divisio est, quod vel corporales sint, vel incorporales. *pr. h. t.*

2. Corporales sunt, quæ suâ naturâ tangi possunt.

3. Et vel mobiles sunt, ut supellex: vel immobiles, ut ædes, fundi: vel sese moventes, ut animalia & servi.

4. Incorporales sunt, quæ suâ naturâ tangi nequeunt, & in jure consistunt; ut hereditas, obligatio, servitus.

TIT. III.

De servitutibus prædiorum.

1. Servitus est jus in re alterius alteri constitutum, quo res alteri quam domino utilitatem adfert contra dominii naturam.

2. Et vel personalis est, vel realis seu prædialis.

3. Personalis est, quâ res servit personæ.

4. Realis, quâ res rei, prædium prædio servit.

5. Prædium est res corporalis immobilis.

6. In materiâ autem servitutum prædialium aliud prædium dominans dicitur; cui scilicet servitus constituta est: aliud serviens; quod dominanti prædio servitutem debet.

7. Est & prædium, vel urbanum vel rusticum.

8. Urbanum, quod habitandi causâ exstructum in urbe, vel agro; ut ædificia §. 1. *h. t. l.* 198. *ff. de verb. signif.*

9. Rusticum, quod fructuum colligendorum causâ comparatum est, ut agri, horti olitorii &c. *d. ll.*

10. Hinc servitus in rusticam & urbanam dividitur.

11. Rustica est, quæ prædio rustico debetur.

12. Urbana, quæ debetur prædio urbano.

13. Fitque denominatio non a prædio serviente, sed dominante.

14. Rusticæ servitutes præcipuæ sunt, iter, actus, via, aquæductus, aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

15. Iter est jus eundi, ambulandi hominis per alterius prædium *pr. h. t.* seu, quâ quis pedes, vel eques commeare potest. *l. 12. ff. de servit. præd. rust.* etiam sellâ vel lecticâ vehi. *l. 7. ff. h. t. de servit. præd. rust.*

16. Actus est jus agendi jumentum, vel vehiculum per prædium alterius. Et qui actum habet, etiam iter habet, ut & solus sine jumento ire possit. *pr. h. t.* nisi actus sine itinere concedatur, quod fieri potest. *l. 4. §. 1. ff. si servit. vind.*

17. Via est jus eundi, ambulandi, agendi, hastam rectam ferendi, ligna, lapides trahendi. *pr. h. t. l. 7. ff. de serv. rust. præd.*

18. Viæ latitudo, si non sit definita partium conventione, in porrectum est octo pedum, in anfractum sedecim, ex lege 12. tabul. *l. 8. ff. de serv. rust præd.* In actu vel itinere tunc arbitrio judicis latitudo definienda est. *l. 13. §. 2. ff. d. tit.* Adhæc, latitudinem viæ oportet tantam esse, ut illac & jumentum, & vehiculum duci possit: cum ad actus latitudinem sufficiat, jumentum illac ire posse. *l. 13. ff. de servitutib. l. 23. ff. de serv. præd. rust.*

19. Aquæductus est jus aquæ ducendæ per fundum, vel ex fundo alterius.

20. Aquæ haustus est jus aquæ hauriendæ ex puteo alterius.

21. Haustu concesso, simul tacitè concessum censetur iter ad puteum; sicut itinere concesso ad puteum, haustus datus intelligitur. *l. 3. §. 3. ff. de servit. præd. rust.* Si fons exaruerit, evanescit aquæhaustus & ductus; sed restituitur, si iterum fluere cœperit.

l. 34.

l. 34. §. *ult. l.* 35. *ff. de servit. præd. rust.*

22. Pecoris pascendi servitus est jus, quo vicino licet suum pecus immittere in prædium alterius, pascendi causâ. *l.* 3. *ff. d. tit.*

23. Pecoris ad aquam appulsus, item jus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, ex suâ denominatione nota sunt.

24. Urbanarum servitutum præcipuæ species sunt, servitus oneris ferendi, tigni immittendi, projiciendi seu protegendi, stillicidii vel fluminis recipiendi vel non recipiendi, altius tollendi, vel non tollendi, luminum, & ne luminibus officiatur, prospectus, & ne prospectui officiatur.

25. Servitus oneris ferendi est jus, quo vicini paries vel columna onus aliarum ædium ferre tenetur. In quâ id singulare est, quod dominus prædii servientis teneatur reficere parietem vel columnam, ut oneri ferendo par sit. *l.* 33. *ff. de serv. præd. urb. l.* 6. §. 2. *l.* 8. §. 2. *ff. si. serv. vind.* cum alioquin servitutum non ea natura sit, ut aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat. *l.* 15. §. 1. *ff. de servitut.*

26. Tigni immittendi est jus, quo vicino licet in parietem vicini tignum immittere, ita ut illud in dominantis simul & servientis prædii pariete requiescat. *l.* 8. §. 1. 2. *ff. si servit. vind.*

27. Tigni projiciendi seu protegendi servitus est jus, quo vicino licet emittere suum tignum extra parietem suum, ita ut supra vicini aream promineat. *l.* 242. §. 1. *ff. de verb. signif.*

28. Servitus stillicidii vel fluminis recipiendi est jus, quo quis tenetur stillicidium vel flumen in suo excipere. *l.* 20. §. 3. 4. 5. *ff. de servit. præd. urb.*

29. Stillicidium dicitur aqua guttatim decidens; flumen vero est aqua collecta decidens cum impetu. *d. l.*

30. Altius tollendi servitus est jus, quo vicinus invitus tenetur altius tollere in suo. Licentia enim altius tollendi

lendi in suo non servitus sed libertas est. arg. *l.* 8. *C. de servitut.* junct. *l.* 17. §. 1. *ff. de servit. præd. urb.*

31. Altius non tollendi est jus; quo vicinus impeditur in suo tollere.

32. Servitus ne luminibus officiatur. est jus, quo vicino licet ita lumina habere in superiore parte sui cœnaculi, ut nihil iis opponi possit, quo lumen solare impediatur. *l.* 4. *ff. de serv. præd. urb.*

33. Servitus ne prospectui officiatur, est jus, quo vicino licet ita fenestras habere in inferiore parte sui cœnaculi, ut nihil iis opponi possit, quo liberior prospectus impediretur. *l.* 15. 16. 17. *ff. h. t.*

34. Differt autem servitus ne luminibus aut ne prospectui officiatur, a servitute ne altius tollatur, in eo, quod prohibitus altius tollere, viridaria tamen supra eam altitudinem ponere possit: quod non potest, qui servitutem debet ne luminibus aut prospectui officiatur. *l.* 12. *ff. de servit. præd. urb.*

35. Servitutes prædiales sine prædiis constitui non possunt. §. 3 *h. t.* ac ad minimum duo desiderant, dominans & serviens; licet plura prædia possint uni unam eandemque servitutem debere. *l.* 18. *ff. de servit. præd. rustic.* Futuro tamen ædificio vel imponi vel acquiri servitus potest. *l.* 23. §. 1. *ff. de servit. præd. urb.*

36. Constituuntur prædiales servitutes pactionibus & stipulationibus, accedente quasi traditione, quæ in usu & patientiâ, vel in loci servituri assignatione consistit; ultimâ voluntate § *ult. h. t.* præscriptione. *l.* 10. *ff. si servit. vind.* officio judicis in judiciis divisoriis familiæ erciscundæ & communi dividundo. *l.* 22. §. 3. *ff. famil. ercisc.* legis dispositione. *l. ult.* §. 1. *C. de servitut.*

37. Finiuntur confusione, dum idem fit prædii utriusque dominus; quia res sua nemini servit. *l.* 1. *ff. quemadm. serv. amitt.* junct. *l.* 5. *ff. si ususfruct. pet.* interitu prædii dominantis aut servientis. *l.* 24. *pr.* &

§ 1.

§. 1. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* remissione servitutis. *l. 21. ff. de serv. præd. urb. l. 20. ff. de serv. præd. rust.* non utendo per decennium inter præsentes, per vicennium inter absentes; nisi servitutis usus per annorum intervalla concessus sit; quo casu semper vicennium requiritur. *l. 7. ff. quemadm. serv. amitt. l. pen. & ult. C. de servitut.*

TIT. IV.

De usufructu.

1. Servitutes personales sunt tres, usufructus, usus & habitatio. Licet & reales servitutes quandoque ex voluntate constituentium personales fieri possint. *l. 6. ff. de servit. leg. l. 14. §. 3. ff. de alim. & cib. leg.*

2. Ususfructus generalius acceptus, est jus percipiendi fructus ex aliqua re.

3. Et tunc dividi potest cum DD. in causalem & formalem.

4. Causalis dicitur, qui cum suâ causâ seu proprietate conjunctus est. *l. 126. §. 1. ff. de verb. oblig.* Talis vero ususfructus non est servitus, quia res sua nemini servit. *l. 5. ff. si usufr. pet.*

5. Formalis est, qui a suâ causâ seu propietate separatus est. *d. l. 126. §. 1.* Et hic proprie servitus est; ac in verum & quasi usumfructum dividitur.

6. Verus ususfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salvâ rerum substantiâ. *pr. h. t.* Et consistit in rebus non fungibilibus, veluti fundis, ædibus, servis, jumentis, supellectile &c. §. 2. *h. t.* Ac regulariter fructuarius præstat cautionem fructuariam datis fidejussoribus, se usurum fruiturum boni viri arbitratu, & finito usufructu rem restituturum. *l. 1. & tot. tit. ff. usufr. quemadm. caveat.*

7. Quasi ususfructus est jus abutendi (id est consumendi)

mendi) rebus alienis fungibilibus, tanquam propriis, eâ lege, ut finito hoc jure res eadem in genere, vel æstimatio ejus restituatur. de quo itidem cavet. §. 2. *h. t.*

8. Res fungibilis dicitur, quæ pondere, numero, vel mensurâ constat, & functionem seu permutationem recipit in suo genere, sic ut alia res similis fungatur vice rei datæ; veluti oleum, vinum frumentum, aurum, argentum, æs, pecunia numerata, vestimenta. *d.* §. 2. *h. t.*

9. Constituitur usufructus tum verus, tum quasi, non modo ultimâ voluntate, sed & actu inter vivos; puta pactionibus & stipulationibus, concurrente quasi traditione, eo modo, quo & in servitutibus realibus. § 1. *h. t.* Adhæc officio judicis in judiciis divisoriis. *l.* 6. §. 1. *ff. de usufr.* legis dispositione, puta patri in bonis adventitiis sui filiifamilias. §. 2. *Inst. per quas pers. cuique acquir.* uxori inopi & indotatæ in bonis mariti. *nov.* 117. *cap.* 5. denique præscriptione. *l. ult. in fine C. de longi temp. præscript.*

10. Amittitur usufructus I. Morte fructuarii. §. 3. *h. t.* &, si usufructus civitati vel collegio relictus sit, durat centum annis, quia is finis vitæ longævi hominis est. *l.* 56. *ff. de usufr.* nisi civitas maturius destruatur, aut collegium dissolvatur. *l.* 21. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* Si duobus simul relictus sit, morte unius non evanescit, sed accrescit alteri. *tot. tit. ff. de usufr. accresc.* II. Maximâ & mediâ capitis diminutione. § 3. *h. t. l.* 1. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* III. Non utendo per modum & tempus. §. 3. *h. t.* Per modum, si præscriptum certum utendi modum non observet. Per tempus triennii in mobilibus, decennii inter præsentes, vicennii inter absentes in immobilibus. arg. *l.* 16. §. 1. *C. de usufr.* IV. Cessione facta domino proprietatis: nam si extraneo cedatur usufructus, nihil agitur, adeoque usus-

ususfructus non extinguitur. *d.* §. 3. *h. t.* V. Consolidatione, dum usufructuarius acquirit proprietatem. Consolidatio enim est ususfructus cum proprietate conjunctio. *d.* §. 3. *l.* 17. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* VI. Rei interitu. *d.* §. 3. *h. t.* Si pars rei perierit, in parte alterâ ususfructus manet. *l.* 53. *ff. de usufructu.* Destructâ tamen totâ domo fructuariâ, nec areæ, nec cementorum ususfructus superest. §. 3. *h. t. l.* 5. §. 2. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* nisi non specialiter ædium, sed omnium bonorum ususfructus relictus esset. *l.* 34. §. *ult. ff. de usufr.* Nec reviviscit, si domus alia in locum prioris restituta sit, aut alia res similis. *l.* 36. *ff. de usufr.* secus si eadem, veluti, si areæ ususfructus legatus sit, & areæ domus imposita, iterumque post diruta sit; in area enim, quippe non simili sed eâdem, ususfructus reviviscit. *d. l.* 36. VII Existente die vel conditione, ad quam usque ususfructus est constitutus. *l.* 12. *C. de usufructu.*

TIT. V.

De usu & habitatione.

1. Usus est jus alienis rebus utendi ad necessitatem quotidianam, salvâ rei substantiâ.

2. Constituitur vero & finitur iisdem fere modis, quibus ususfructus. *pr. h. t.* Ac usuifructui usus inest; usui fructus deest. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* adeoque minus in usu quam in usufructu est, tum commodi tum oneris intuitu. §. 1. *h. t.*

3. Oneris respectu, quatenus fructuarius modicas impensas in rei fructuariæ refectionem ac conservationem facere tenetur, uti & onera tributi, vectigalis, & similia præstare. *l.* 7. §. 2. 3. *ff. de usufr.* Usuarius vero nullas impensas aut onera subit; nisi omnem rei usuariæ utilitatem absumat; quia tunc

pa-

parum a fructuario differ. *l.* 18. *ff. h. t.*

4. Ratione commodi. I. Quatenus in usufructu locus esse potest juri accrescendi; non item in usu; quia usus pars legari non potest, ac frui quidem pro parte possumus, at non uti. *l.* 19. *ff. h. t.* II. Quatenus fructuarius omnes fructus suos facit, licet iis ipse non indigeat; usuarius vero non ultra ex fructibus capit, aut re usuariâ utitur, quam quod sibi suisque sufficit. Et hinc fructuarius, vel ipse uti frui potest rebus fructuariis, veluti ædibus, fundis, jumentis, servis, pecoribus; vel eas alteri locare, aut vendere, aut gratis concedere. *l.* 12. §. 2. *l.* 38. *& seqq. ff. de usufructu.* cum contra usuarius nihil horum possit, sed ipse rebus usuariis ad sui suorumque necessitatem uti debeat, ac, si qui sint fructus superflui, proprietario cedant. §. 1. 2. 3. 4. *h. t.* Ut tamen homini mediocris conditionis permissum sit partem ædium usuariarum elocare, si modicâ velit parte contentus esse. *l.* 4. *ff. h. t.* & is, cui equitii usus relictus est, equos elocare possit, si auriga fuerit, & testator sciverit, eum hujus instituti & vitæ esse. *l.* 12. §. 4. *ff. h. t.* Sed & in pecudum fructu lac, pilus, & lana est. §. 36. *Inst. de rer. divis.* in usu non item, nisi quod modico lacte usuarius uti possit ad agrum stercorandum. §. 4. *h. t. l.* 12. §. 2. *ff. h. t.*

5. Habitatio est jus inhabitandi ædes alienas salvâ earum substantiâ. Et ab usufructu ac usu differt.

6. Fructuarius enim & locare ædes & gratis concedere potest; usuarius partem tantum ædium locare potest, ut supra dictum; at habitationem habens totas ædes elocare potest, sed gratis concedere non potest. §. *pen. h. t. l.* 10. *ff. h. t.* Adhæc habitatio non perit capitis diminutione, aut non utendo. *d. l.* 10. *ff. h. t.* cujus contrarium in usufructu & usu est.

TIT. VI.

De usucapionibus & longi temporis præscriptionibus.

1. Modi acquirendi dominii ex jure civili plures etiam sunt; ac dividuntur in universales, & singulares, seu particulares.

2. Universales sunt quatuor, puta, hereditatis acquisitio, bonorum possessionis agnitio, arrogatio, & addictio bonorum libertatum conservandarum gratiâ.

3. Singulares itidem quatuor, nempe, usucapio, donatio, legatum, & fideicommissum singulare.

4. Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. *l. 3. ff. h. t. de usurp. & usucap.* Quæ olim distincta erat a longi temporis præscriptione; sed jure novo longi temporis præscriptio & usucapio exæquatæ sunt. *l. unic. C. de usucap. transform. l. ult. C. de longi tempor. præscript.*

5. Nec repugnat usucapio naturali æquitati, quia justum est, puniri negligentiam dominorum circa res suas, quæ reipublicæ damnosa est, & dominia rerum incerta faceret. *pr. h. t.* Neque iniquum est, aliquem locupletari cum alterius jacturâ, quoties is, qui jacturam patitur, suo delicto, vel dolo, vel culpâ causam isti jacturæ præbuit; dum damnum, quod quis suâ culpâ sentit, non intelligitur sentire. *l. 203. ff de reg. jur.*

6. Usucapioni opponitur usurpatio, quæ est interruptio usucapionis. *l. 2. ff. h. t.*

7. Ut Usucapio recte procedat, requiritur bona fides, justus titulus, tempus lege definitum, res non vitiosa, & possessio continuata.

8. Bona fides est, non habere conscientiam rei alienæ; seu, illæsa conscientia putantis rem suam esse. *l.* 109. *ff. de verb. signif.* Eamque in initio, id est, tempore traditionis, (in emtione etiam tempore contractus) adesse sufficit; nec mala fides postea superveniens interrumpit usucapionem. *l.* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin. l.* 48. *ff. h. t. l.* 2. *ff. pro emtore.*

9. Justus titulus est causa habilis ad dominium transferendum, ut emtio, donatio, legatum, permutatio. Estque regulariter necessarium, ut titulus verus sit, nec sufficit putativus, dum quis putat, se emisse quod non emit &c. *l.* 27. *ff. h. t.* §. 11. *h. t.* nisi justissima quædam subsit erroris causa. *l.* 11. *ff. pro emtore.* & quidem error facti, non juris. *l.* 31. *ff. h. t.* vel nisi de servitute per præscriptionem acquirendâ quæstio sit. *l.* 10. *ff. si servit. vind.*

10. Tempus lege definitum olim erat annus in mobilibus, biennium in immobilibus: sed jure novo triennium in mobilibus; in immobilibus decennium inter præsentes, vicennium inter absentes; & si quis pro tempore præsens, pro tempore absens fuerit, tempori absentiæ adjicitur decennium. *pr. h. t. l. ult. C. de longi temp. præscript.*

11. Res vitiosa hic est res omnis, quæ nequit usucapi; veluti, res fisci. §. 9. *h. t.* res commerciis hominum exemtæ, sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo. §. 1. *h. t.* res præsidi contra legem Juliam datæ. *l. pen. ff. ad leg. Jul. repet.* res pupilli. *l.* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* res furtivæ aut vi possessæ. §. 1. 2. *h. t.* & ob id etiam servus fugitivus, quia sui ipsius furtum facit. *d.* §. 1. *h. t. l.* 1. *C. de servis fugitivis.*

12. Longissimi tamen temporis præscriptione, quæ est annorum quadraginta, acquiri possunt hæ res. *l.* 4. *in med. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor. nov.* 111. *&* 131. *cap.* 6. abrogatâ *novellâ* 9.

Bona

Bona quoque vacantia fisco necdum nunciata usucapionem admittunt, quia fiscalia non sunt. §. 9. *h. t.* Denique rerum furtivarum usucapio fieri potest, quamprimum vitium rei purgatum est. Purgatur autem; si ea in potestatem domini, id non ignorantis, juste reversa sit, sic ut avelli nequeat. *l.* 4. §. 6. *&* 12. *ff. h. t.* §. 8. *h. t.* vel dominus cum fure transegerit, aut furi rem furtivam vendiderit. *l.* 84. *ff. de furtis.* vel rei furtivæ vindicandæ potestatem habuerit. *l.* 215. *ff. de verb. signif.*

13. Continuata possessio dicitur, quæ non est interrupta. Et vel naturaliter continuatur, dum unus idemque ab initio usque ad impletam usucapionem possidet: vel civiliter, dum ei, qui ab initio possedit, ante impletam usucapionem alius titulo universali vel particulari succedit; ut heres, emtor, legatarius &c. §. *pen. h. t.* Quamvis inter universalem ac particularem successorem illud intersit; quod mala fides defuncti noceat heredi, licet in bonâ fide posito, sic ut a se nequeat inchoare usucapionem; & vice versâ bona fides defuncti prosit heredi, etiam scienti, rem alienam esse. *d.* §. *pen. h. t.* Cum ex adverso mala fides venditoris & similium non noceat emtori & similibus successoribus particularibus in bonâ fide positis, quo minus ipsi inchoënt usucapionem; nec implere possint usucapionem a prædecessore cœptam, si ipsi tempore acquisitæ possessionis in mala fide sint. *l.* 5. *ff. de diversis temp. præscript. l.* 13. §. 11. 12. 13. *ff. de acquir. vel amitt. poss.*

14. Si quis rem alienam a fisco emerit, aut a Principe vel Augustâ, statim securus est, ac dominium acquirit; sed pristino domino contra fiscum actio intra quadriennium datur ad indemnitatem. §. *ult. h. t.*

TIT. VII.

De donationibus.

1. Donatio in genere est liberalis & licita rei datio vel promissio.

2. *Licita* dicitur, quia nec res omnis donari potest, veluti, quæ commercio exemta est: nec quilibet donare potest, sed ille demum, qui liberam habet rerum suarum administrationem & alienandi facultatem: nec denique inter omnes personas donatio subsistit; veluti inter virum & uxorem. *tot. tit. ff. de donat. inter vir. & uxor.* patrem & filiumfamilias. *l. 1. §. 1. ff. pro donat.* militem & focariam seu concubinam. *l. 2. C. de donat. inter vir. & uxor.*

3. Donatio si traditione perficiatur, acquirendi dominii modus simul atque causa est. Sin promissione per stipulationem aut ex jure novo per pactum legitimum, causa tantum, non vero modus acquirendi, dici potest.

4. Donatio duplex est, puta, vel mortis causâ, vel non mortis causâ seu inter vivos. *pr. h. t.*

5. Mortis causâ donatio est liberalitas propter mortem nullo jure cogente facta; cum magis se quis velit habere, quam eum cui donat, magisque eum cui donat, quam heredem suum. §. 1. *h. t.* Si quis moriens absolute donet, nullâ injectâ mortis mentione, magis est inter vivos donatio. *l. 42. §. ult. ff. de mortis causâ donat.* sicut &, si mortis causa donatio facta sit, ut nullo casu revocari possit. *l. 27. ff. eod. tit.* Etenim mortis causâ donatio per omnia fere legatis est exæquata; præcipue in eo, quod revocabilis sit. *d. §. 1. h. t.* morte donatarii ante donantem extinguatur. §. 1. *h. t.* Falcidiam admittat. *l. 5. C. ad leg. Falcid.* quinque testium requirat adhibitionem. *l. ult. C. de mortis causâ donat.* juri accrescendi,

-scendi locus in eâ sit. *l. un.* §. 14. *C. de caduc. toll.* ac regulariter illi demum mortis causâ donare possint, qui & legare: excepto filiofamilias, qui licet legare nequeat, tamen mortis causâ ex consensu patris donare potest. *l.* 7. §. 4. *ff. de donation.* Denique & iisdem donari, quibus legari: nisi, quod in mortis causâ donatione sufficit, donatarium mortis tempore capacem esse. *l.* 22. *ff. de mortis caus. donat.*

6. Ex pœnitentiâ donatio revocatur rei vindicatione, si donatum sit, *ut si mors contigisset, tunc haberet cui donatum est*. condictione sine causâ vel utili in rem actione, si ita, *ut jam nunc haberet donatarius, redderet vero si donator periculum evasisset. l.* 29. *l.* 30. *ff. de mort. caus. donat.*

7. A donatione mortis causâ diversa est mortis causâ capio, quæ est, cum quid conditionis implendæ causâ percipitur; veluti, si Titius heres instituatur, vel legato honoretur, si *decem Cajo dederit*, & illa Cajus accipiat. *l.* 38. *ff. de mort. caus. don.*

8. Donatio inter vivos est liberalitas, quæ fit sine ullâ mortis mentione.

9. Et vel donatio simplex est, vel donatio ob causam.

10. Donatio simplex est mera, absoluta, & irrevocabilis rei datio vel promissio. Quæ, si quingentos excedat aureos, insinuatione indiget § 2. *h. t.* ne alioquin clandestinis & domesticis fraudibus donationes confingantur, *l.* 27. *C. h. t. de donat.*

11. Est autem insinuatio nihil aliud, quam professio apud acta. *d. l.* 27. Quâ tamen insinuatione opus non est, licet donatio quingentis aureis major sit, si quid donatum sit ad causas piissimas, puta redemtionem captivorum; aut Principi, vel a Principe; aut militibus a Duce ob rem strenue gestam; aut ad refectionem ædium exustarum. *l.* 34. *pr.* & *auth.*

auth. subjuncta. l. 36. *C. h. t. de donation.* aut si creditor futuri temporis usuras remittat. *l.* 23. *ff. h. t.* In aliis causis insinuatio neglecta vitiat donationem, non in totum, sed pro quantitate aureos quingentos excedente. *d. l.* 34. *C. h. t.* Et, si diversis temporibus in eandem personam donationes factæ sint, quæ singulæ quingentos aureos non excedunt, sed conjunctæ majoris quantitatis sunt, singulæ seorsim considerandæ. *l.* 34. §. 3. *C. h. t.*

12. Revocari potest hæc inter vivos donatio ob quinque causas ingratitudinis, quales sunt illatæ donatori per donatarium impiæ manus, vitæ insidiæ, jacturæ moles, atrox injuria, & si donatarius non paruerit conditionibus donationi adjectis. *l. ult. C. de revoc. donat.* Non tamen revocari potest propter liberos postea susceptos; nisi patronus liberto donaverit. *l.* 8. *C. de revoc. donat.* Nec heredi aut in heredem datur actio in factum ad donationem propter ingratitudinem revocandam. *l.* 7. *post med. l. ult. C. de revoc. donat.*

13. Si donatio inter vivos sine traditione solo pacto facta sit, ad implementum ejus agitur condictione ex *l.* 35. *C. de donationibus.* arg. *l. un. ff. de condict. ex lege.*

14. Donatio ob causam est, quæ propter aliquam causam fit, veluti propter nuptias, vel remuneratoria.

15. Donatio propter nuptias est, quæ a marito confertur in mulierem in remunerationem & securitatem dotis. Olim dicta ante nuptias, quia stante matrimonio fieri non poterat: sed jure novo & ante nuptias, & post, fieri potest, ac augeri: & in plerisque pari passu cum dote ambulat. §. 3. *h. t. l.* 9. *& auth. æqualitas C. de pactis conventis.* eo excepto, quod maritus dotis & donationis fructus percipit.

16. Si dominorum unus servo communi libertatem dare

dare velit, poteſt, oblatâ pretii parte pro ratâ alteri domino; favore libertatis, licet olim portio manumittentis accreſceret domino ſeveriori, nec libertas competeret. §. *ult. h. t.*

TIT. VIII.

Quibus alienare licet vel non.

1. Alienatio eſt omnis actus, per quem dominium tranſit. *l. 1. C. de fund. dot.* Ac regulariter, qui dominus eſt alienare poteſt. Et vice verſâ, qui dominus non eſt, alienare nequit: dum nemo plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet. *l. 54. ff. de reg. jur.* Ut tamen ab utraque regula exceptiones dentur. *pr. h. t.*

2. Etenim primo maritus eſt dominus dotis, civiliter ſcilicet; dum uxor naturale dotis dominium retinet. *l. 30. C. de jure dot. pr. h. t.* & tamen prædium dotale nec alienare nec obligare poteſt, ſive invitâ muliere, ſive eâ conſentiente: ſive Italicum, ſive provinciale prædium ſit. *d. pr. h. t.* Niſi alienatio per univerſitatem contingat, dum res dotalis ad heredes mariti tranſit. *l. 1. §. 1. ff. de fund. dot.* aut non voluntaria ſed neceſſaria ſit; puta per miſſionem in poſſeſſionem; aut per ſocii provocationem ad diviſionem, caſu, quo prædium uxori cum alio commune in dotem datum. *l. 1. ff. de fundo dot. l. ult. C. de fund. dotal.* vel niſi æſtimatum prædium ita in dotem datum ſit, ut electio mariti ſit, utrum rem an æſtimationem reddere malit. *l. 11. ff. de fundo dot.* Res quoque dotales mobiles, licet pretioſas, per maritum alienari, nulla lege prohibitum eſt.

3. Vice verſâ creditor dominus non eſt rerum ſibi pignori obligatarum; & tamen eas alienare poteſt, præmiſsâ tamen unâ denunciatione debitori facien-

dâ, si convenerit, *ut liceat creditori pignus vendere.* uti &, si nihil expresse de vendendo actum sit, quia id tacite actum creditur. Plane, si convenerit, ne liceat creditori pignus vendere, creditor vendens furtum facit, nisi ter denunciaverit debitori, ut solvat, & ille cessaverit. *l. 4. ff. de pignorat. act. l. 4. C. de distract. pignor.* Quod si pignus per creditorem venale propositum auctione publicâ emtorem non inveniat toto biennio, petitur & impetratur per creditorem a Principe, non judice, dominium pignoris justo pretio æstimati; citato tamen prius debitore, ut solvat. Sed post impetrationem dominii debitor adhuc intra biennium continuum pignus recuperare potest, refusis omnibus impensis, ac debito soluto. *l. ult. C. de jure dominii impetr.* Quin imo, censetur creditor, qui jam dominium impetraverat. ab ea impetratione destitisse, si postea usuras vel debiti partem a debitore receperit. *l. 2. C. de jure dom. impetr.*

4. Tutor quoque, qui rerum pupillarium dominus non est, res immobiles ac mobiles pretiosas, urgente æris alieni necessitate, aut maximâ utilitate, alienat ex decreto magistratus; reliquas etiam sine decreto. *l. 2. & tot. tit. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. &c.* Interim pupillus ipse sine tutore mutuum dare nequit, &, si dederit, nummi extantes vindicari possunt; bonâ fide consumti condici; de consumtis malâ fide ad exhibendum agi. §. *ult. h. t.* Sed nec pupillo recte solvitur a debitore, nisi tutoris autoritate & decreto magistratus interposito. *d.* §. *ult.* Quod tamen decretum non requiritur, si solvendi sint reditus aut usuræ, biennii metam & centum solidorum quantitatem non excedentes. *l. 25. l. 27 C. de admin. tut.* In cæteris, decreto deficiente, debitor solvens securus non est, cum pupillus in integrum restitui possit, si pecunia soluta male per tutorem collocata sit. *l. 2. C. si tut. vel curat.*

rat. interven. Denique nec pupillus sine tutoris autoritate recte solvit quod debet: ac nummi soluti vindicari possunt si extent: at si consumti, contingit liberatio. *l. 14. §. ult. ff. de solution.*

TIT. IX.

Per quas personas cuique acquiritur.

1. Dominium non tantum per nosmetipsos acquiritur, sed & per filiosfamilias ac servos nostros; item per servos fructuarios, & servos alienos ac homines liberos bonâ fide nobis servientes: non tamen eodem modo. Quâ occasione considerandum venit peculium.

2. Est autem peculium pusillum patrimonium, quod filiusfamilias vel servus a rationibus paternis vel dominicis separatum habet.

3. Servorum peculium unicum tantum est; at filiorumfamilias quadruplex, castrense, quasi castrense, profectitium, & adventitium.

4 Castrense, quod filiusfamilias occasione militiæ armatæ acquisivit; veluti capta ab hostibus, &c.

5. Quasi castrense, quod filiusfamilias acquisivit occasione militiæ togatæ; dum causas orat, &c.

6. In utroque hoc peculio filiifamilias pro patribusfam. habentur, ejusque plenissimum dominium sibi acquirunt; sic ut & actu inter vivos & ultimâ voluntate possint de eo disponere. §. 1. *h. t. pr. Inst. quib. non est permiss. fac. test.*

7. Profectitium est, quod filiusfam. a patre vel patris occasione acquisivit. Quod in solidum patri acquiritur proprietate & usufructu. §. 1. *h. t.* ac post patris obitum reliquis fratribus conferendum est. *l. 13. C. famil. ercisc. l. ult. C. de collat.* licet filiusfamilias possit contrahendo patrem etiam invitum obligare usque ad vires peculii hujus. §. 10. *Inst. de action.*

& illud separetur filiofamilias, cum patris bona a fisco propter debitum distrahuntur. *l.* 3. §. 4. *in fine ff. de minor.* 25. *annis.* atque etiam maneat penes filium emancipatum, si pater illud ei tempore emancipationis non ademerit. *l.* 31. §. 2 *ff. de donat.*

8. Adventitium est, quod filiusf. neque occasione militiæ armatæ aut togatæ, neque ex re patris vel ejus occasione, sed aliunde acquisivit; veluti ex successione maternâ aut cognatorum &c.

9. Et hoc vel plenum est, vel non plenum.

10. Plenum adventitium peculium dicitur, cujus proprietas & ususfructus ad ipsum filiumf. pertinet, veluti, si quid filiof. donatum aut relictum sit eâ lege, ne pater in eo usumfructum habeat. *nov.* 117. *cap.* 1. vel si filiusf. unà cum patre succedat fratri germano. *nov.* 118. *cap.* 2.

11. Non plenum. cujus proprietas ad filiumfamilias, usufructus ad patrem spectat. §. 1. *h. t.* Cujus ususfructus partem dimidiam pater retinet, si filium emancipet. §. 2. *h. t.*

12. Per servos pleno proprietatis jure nostros omnia nobis acquiruntur; dominium nobis etiam ignorantibus & invitis. §. 3. *h. t.* possessio nobis tantum scientibus, non ignorantibus; nisi ex causâ peculiari; vel nisi servus nominatim nostro nomine nobis possessionem nactus sit. *l.* 34. §. *ult. l.* 44. §. 1. *ff. de acquir. vel amitt. poss.* hereditas tantum nobis jubentibus. §. 3. *h. t.*

13. Per servos fructuarios, aut alienos bonâ fide possessos, aut homines liberos bonâ fide nobis servientes, ea sola nobis acquiruntur, quæ illi ex suis operis vel re nostrâ acquirunt: reliqua proprietario aut ipsi homini libero cedunt; nisi contemplatione fructuarii aut possessoris relicta probentur. §. 4. *h. t. l.* 21. 22. 23. *ff. de usufructu.*

14. Per liberos homines potestati nostræ non subjectos, nec bonâ fide a nobis possessos, nihil nobis acquiri potest,

test; eo excepto, quod ex mandato nostro per procuratorem nobis dominium & possessio quæritur. §. 5. *h. t.*

TIT. X.

De testamentis ordinandis.

1. Hereditas est successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. *l.* 62. *ff. de reg. juris.*

2. Defertur autem vel ex testamento, vel ab intestato: non item ex pacto, nisi inter milites. *l.* 15. *l.* 19. *C. de pactis.* aut nisi consentiat is, de cujus hereditate pactum inter alios fit, ac in eâdem perduret voluntate, *l. ult. C. de pactis.*

3. Testamentum, (quasi testatio mentis) est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. *l.* 1. *ff. qui test. fac. poss.*

4. *Justa* dicitur *sententia*, quia conveniens esse debet legibus testamentariis, atque ita cum cæteris requisitis etiam continere heredis institutionem.

5. Et olim quidem testamenta condebantur vel in comitiis calatis, iisque probabiliter curiatis; vel in procinctu; deinde per æs & libram, adhibito libripende, familiæ emtore, & quinque testibus, §. 1. *h. t.* postea ex jure prætorio coram septem testibus illud signantibus. §. 2. *h. t.* sed his sublatis, ex jure posteriore testamentum vel solenne est, vel privilegiatum: ac utrumque rursus vel scriptum vel nuncupativum.

6. Scriptum solenne est, quod per testatorem, vel alium ejus jussu, in scripturam ab initio solenniter redactum est. Cujus requisita sunt, ut fiat unico contextu, nullo contractu vel alio actu extraneo interveniente, nisi forte necessitatis sit. §. 3. *h. t. l.* 28.

28. *C. de testamentis. l.* 20. *ff. de verb. signif.* adhibitis septem testibus, idoneis. *d.* §. 3. *h. t.* specialiter rogatis, ab initio ad finem præsentibus. *l.* 20. §. 8. *ff. qui testam. fac. poss.* testatorem videntibus. *l.* 9. *C. de testam.* subscribentibus, & signantibus suo vel alieno annulo, aliove instrumento characterem habente. §. 3. *&* 5. *h. t.* & ut testator ipse subscribat, aut alius pro eo, nisi totum ipse scripserit. *d.* §. 3. *h. t.* arg. *l.* 29. *C. de testam.* non item, ut manu testatoris aut testium nomen heredis exprimatur. *novell.* 119. *cap.* 9. abrogato § 4. *h. t.* Idonei vero testes sunt, cum quibus testamenti factio est: inidonei tamen habentur impuberes, fœminæ, servi (qui tamen si omnium opinione pro liberis habiti adhibeantur, sustinetur testamentum ex benignitate §. 7. *h. t.*) furiosi, prodigi, mente capti, improbi & intestabiles. §. 6. *h. t.* domestici, id est, qui vel in testatoris sunt potestate, vel testatorem habent in suâ potestate, vel unâ cum testatore sunt in tertii potestate. Plane, pater & filiusf. in testamento tertii testes esse possunt; sicut & filius emancipatus in testamento sui patris. §. 8. 9. *h. t.* Heres quoque testis esse nequit, nec filius ejus, licet emancipatus, nec pater, nec frater. §. 10. *h. t.* at legatarius & fideicommissarius particularis potest. §. 11. *h. t. l.* 14. *ff. de reb. dub.*

7. Cui autem materiæ inscribatur testamentum, nihil refert. §. 12. *h. t.* & quamvis nemo paganus decedere possit pluribus relictis testamentis, tamen plures ejusdem testamenti codices, singulos plenâ solennitate munitos, relinquere potest, ut uno pereunte, adhuc ex reliquis hereditas adeatur. §. *pen. h. t. l. ult. ff. de his quæ in test. delentur.*

8. Nuncupativum testamentum est, cùm testator vivâ voce coram septem testibus, idoneis, specialiter rogatis, simul præsentibus, ac testatorem intelligentibus, unico contextu, suam voluntatem declarat.

rat. §. *ult. h. t. l.* 21. *ff. qui test. fac. poss.* Nec necesse, ut testes præmoneat, se nuncupativum velle testamentum condere. *l.* 26. *C. de testament.*

9. Minus solenne seu privilegiatum testamentum est, in quo quædam ex requisitis vulgo solennitatibus per juris dispositionem remissæ sunt. Quale est testamentum Principi oblatum. *l.* 19. *C. de testamentis.* tempore pestis conditum; in quo remissa est simultanea testium præsentia. *l.* 8. *C. de testamentis.* item ruri factum; in quo testes quinque sufficiunt, si plurium copia non sit, ac unus pro altero potest subscribere. *l. ult C. de testamentis.* Ad hæc testamentum patris inter liberos; in quo vel duo testes, vel sola parentis scriptura, seu holographum, sufficit. *l.* 21. §. 1. *& auth. quod sine C. de testamentis.* præcipue vero testamentum militare.

TIT. XI.

De militari testamento.

1. Testamentum militare est, quod militiæ, non domi, factum est ab eo, qui in numerum relatus stipendia meret. Adeoque nullis est obnoxium solennitatibus, dum militibus, in expeditione occupatis, quomodocunque voluerint & potuerint, testari licet. *pr. &* §. 1. *h. t. l.* 1. *ff. h. t. l.* 15. *C. h. t.* Idque, quia juris imperiti sunt, & armis occupati, non possunt consulere peritiores. *d. pr. h. t. d. l.* 1. *ff. h. t.* Si modo non a joco verba processerint, sed de judicio serio prolato constet §. 1. *h. t.* Quod si citra expeditionum necessitatem alibi, vel domi suæ degant, non nisi jure communi solenniter testari possunt. *d. pr. h. t.*

2. Cæterum etiam milites surdi & muti jure militari testari possunt §. 2. *h. t.* quin & pagani castra secuti, si in hostico deprehendantur, § 1. *h. t. l. ult. ff. h. t.* in-

inter quos tamen paganos & vere militantes hoc interest, quod paganorum testamenta privilegiata demum valeant, si in hostico decesserint, non usque ad annum a reditu. *d. l. ult. ff. h. t.* cum ex adverso militaria ipsorum militum testamenta valeant usque ad annum a missione, honestâ vel causariâ, non item ignominiosâ, *l. 26. ff. h. t.* atque adeo sufficiat, eos intra annum mortuos esse, licet post annum demum existat conditio ex quâ heres scriptus est, quippe quæ quandocunque existens retrotrahitur ad tempus mortis. §. 3. *h. t.* junct. *l. 54. ff. de acquir. vel omitt. hered.*

3. Missio honesta est, quæ fit emeritis stipendiis.

4. Causaria, quæ necdum emeritis stipendiis fit ex justâ causâ: dum quis ex morbo, vulnere, vel aliter inhabilis est redditus ad expeditionem.

5. Ignominiosa, quâ miles ob delictum militiæ sacramento solvitur. *l. 26. ff. h. t. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam.*

6. Si quis ante militiam, non jure fecerit testamentum, & postea miles fiat, non aliter illud convalescet jure militari, quasi ex novâ militis voluntate, quam si in expeditione degens illud resignaverit, & quædam adjecerit aut detraxerit, aut ex facto alio vel verbis manifestum fit, illum in eâdem voluntate perseverasse. §. 4 *h. t. l. 9. l. 20. ff. h. t.*

7. Si miles post testamentum conditum minimam patiatur capitis diminutionem, dum se adrogandum dat, ratum nihilominus manet testamentum. §. 5. *h. t.* Contra quam in paganico receptum est. §. 4. *Inst. quib. mod. test. infirm.* Quâ occasione notandum, multa alia militibus circa testamenta ex privilegio data esse, veluti, quod voluntas eorum notis scribi possit. *l. 40. ff. h. t.* quod liberos impune possint silentio præterire. *l. 9. 10. C. h. t.* filio impuberi substituere, licet sibi testamentum non faciant. *l. 41. §. ult. ff. h. t.* pro parte testati & intestati de-

decedere, & ita ex die vel ad diem heredem scribere, jus accrescendi prohibere. §. 5. *Inst. de hered. instit.* incapaces instituere. *l.* 13. §. 2. *ff. h. t.* pluribus testamentis relictis decedere. *l.* 19. *ff. h. t.* codicillis hereditatem dare. *l.* 36. *ff. h. t.* & alia plura, quæ paganis interdicta sunt.

TIT. XII.

Quibus non est permissum facere testamenta.

1. Testamenti factio vel activa est secundum DD. vel passiva. Activa, est facultas condendi jure testamentum.

2. Passiva est facultas capiendi testamento relicta. § 4. *Inst. de hered. qual. & diff.*

3. Ad activam testamenti factionem requiritur in testatore integritas status, mentis & sensuum.

4. Satus integritas duobus temporibus adesse debet, puta, facti testamenti, & mortis testatoris, adeoque requiritur, ut testator civis Romanus & paterfamilias utroque tempore fuerit. *pr. h. t.* At mentis & sensuum integritatem tempore facti testamenti adesse sufficit; nec prodigalitas aut furor, aut surditas, aut cæcitas aliudve simile vitium superveniens infirmat testamenta, hisce animi aut corporis vitiis vetustiora, ac semel recte condita. §. 1. 2. 3. *h. t.*

5. Habent ergo testamenti factionem activam cives Romani masculi vel fœminæ, puberes, sanæ mentis & morum, nullo laborantes vitio corporis, quo mentis declaratio impeditur.

6. Ex adverso testamenta facere nequeunt servi, deportati, peregrini. *l.* 8. § 1. 3. 4. *ff. qui test. fac.* capti ab hostibus. §. *ult. h. t.* (secus, si a latronibus. *l.* 13. *ff. qui test. fac.*) obsides, nisi jus togæ Romanæ impetraverint. *l.* 11. *ff. qui test. fac. l.* 31. 32. *ff. de jure fisci.*

fisci. de statu suo dubitantes. *l.* 15. *qui test. fac. poss.* hæretici. *l.* 4. §. 5. *l.* 15. *C. de hæret.* apostatæ. *l.* 3. *C. de apostatis.* ad ultimum supplicium damnati, nisi appellaverint; aut nisi damnati sint ex delicto militari fidem ruptam non continente. *l.* 13. §. *ult. ff. qui test. fac. poss. l.* 11. *ff. de test milit.* filiifamilias, nisi de castrensi aut quasi castrensi peculio; neutiquam de pleno adventitio. *pr. h. t. l. pen. C. qui test. fac. poss.* impuberes, ne auctore quidem tutore, quia testamenti factio non debet ab alieno arbitrio pendere. §. 1. *h. t. l.* 32. *ff. de hered. instit.* furiosi. *d.* §. 1. *h. t.* prodigi. §. 2. *h. t.* Surdi & muti conjunctis vitiis non aliter, quam si scribere possint, & scripto voluntatem solenniter declarent. *l.* 10. *C. qui test. fac. poss.* cæci ita demum, si tabellionem adhibeant, aut, eo deficiente, octavum testem, ac vivâ voce suam nuncupent voluntatem, deinceps in scripturam redigendam. *l.* 8. *C. qui test. fac. poss.* Nec convalescunt testamenta servorum, deportatorum, captorum ab hostibus, filiorumfamilias, impuberum, furiosorum, amentium, aut prodigorum, si postea cives Romani, aut sui juris, aut puberes facti, aut ad sanam mentem sanosve mores reversi aut jure postliminii restituti, decesserint. *l.* 8. *pr. ff. qui test. fac. poss. pr.* & §. 1. & *ult. h. t.* quia obstat regula Catoniana, dictans, id quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non posse convalescere. *l.* 29. *ff. de reg. jur. l.* 1. *ff. de reg. Caton.* & jus postliminii se non extendit ad ea, quæ apud hostes fiunt. arg. *l.* 1. *C. de postlimin. revers.* Si quod tamen testamentum in urbe ante captivitatem factum sit, valet jure postliminii, si captus redierit; fictione vero legis Corneliæ, si apud hostes decesserit. §. *ult. h. t.*

TIT.

TIT. XIII.

De exheredatione liberorum.

1. Exheredatio est ab hereditate exclusio.

2. Et vel expressa est, quæ nominatim & verbis expressis fit: vel tacita; quâ ratione præteritio a matre, vel avo materno vel a milite facta, loco exheredationis est. §. *pen. & ult. h. t.*

3. Liberi I. Vel sui, vel emancipati sunt. II. Vel nati vel posthumi. III. Vel primi, vel ulterioris gradus. IV. Vel legitimi & naturales simul, quales sunt, qui ex justis nuptiis procreati; vel legitimi tantum, quales adrogati & adoptati, vel naturales tantum, qui ex concubinâ nati; vel spurii, qui ex vago concubitu ac vulgo quæsiti sunt; vel incestuosi & adulterini.

4. Posthumi rursus vel veri sunt, vel quasi posthumi.

5. Veri posthumi dicuntur, qui post mortem patris, quasi post humatum patrem, nati sunt.

6. Quasi posthumi in genere sunt, qui post conditum testamentum aut patris captivitatem nati, vel agnati, seu sui heredes facti sunt. *l. 29. passim ff. h. t. de liberis & posthum. l. 15. ff. de injust. rupt. irrit. test.*

7. Necesse autem est, liberos legitimos & naturales simul, sive masculos, sive fœminas, sive natos, sive veros aut quasi posthumos, sive suos, sive emancipatos, per patrem testamento institui, vel nominatim exheredari. Alioquin suis jam natis præteritis, testamentum ipso jure nullum est. *pr. h. t.* Posthumi præteriti illud rumpunt agnatione veri vel quasi posthumi. §. 1. 2. *h. t.* non tamen, abortu facto, aut monstro nato. *l. 2. 3. C. de posth. hered. instit.*

stit. neque convalescit, si verus posthumus editus moriatur. *l.* 2. *C. de posth. hered. inst.* secus, si quasi posthumus vivo testatore decedat; tunc enim jure prætorio per bonorum possessionem secundum tabulas testamentum sustinetur. *l.* 12. *ff. de injust. rupt. irrit. test.*

8. Emancipati præteriti habent bonorum possessionem contra tabulas. §. 3. *h. t.* Naturales plane liberi, ut & adoptati, impune a patre præteriri possunt, nisi adrogati sint, vel ab aliquo ascendentium adoptati. *l.* 10. *C. de adoption.*

9. His consequens est, per §. 5. *h. t.* non esse sublatam differentiam inter suos & emancipatos, natos & posthumos; sed tantum eam, quæ in sexu erat, quatenus olim masculi filii inter cæteros exheredari non poterant, fœminæ poterant, ac præteritæ non infirmabant paternum testamentum, sed scriptis heredibus accrescebant; at jure novo fœminæ æque ac masculi nominatim exheredari debent, ac præteritæ æque ac masculi paternum infirmant testamentum; sic ut sui & suæ ob præteritionem testamentum dicant nullum, posthumi & posthumæ illud agnatione rumpant; emancipati & emancipatæ habeant contra tabulas bonorum possessionem. §. 5. *h. t. l.* 4. *C. de liber. prater.*

10. Cæterum liberi pure exheredandi sunt. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* & à totâ hereditate, non à re singulari. *l.* 19. *ff. h. t.* denique ab omni gradu institutionis, non a certâ personâ aut certo gradu. *l.* 3. §. 2. *& seqq. ff. h.* Contra ex re certâ institui possunt. *d. l.* 19. *ff. h. t.* ut & sub conditione, excepto filio suo herede, qui non sub omni, sed tantum sub potestativâ conditione heres institui potest. *l.* 4. *ff. de hered. instit. l.* 10. *ff. de condit. instit.* ac sub conditione casuali aut turpi institutus pro præterito habetur. *l.* 15. *ff. de condit. institut. d. l.* 4. *ff. de hered. instit.*

TIT.

TIT. XIV.

De heredibus instituendis.

1. Præcipuum caput & fundamentum testamenti, seu præcipua solennitas interna, est heredis institutio; quæ est designatio successoris in universum jus defuncti.

2 Heredes institui possunt omnes, cum quibus passiva testamenti factio est, sive certi, sive incerti sint, modo ex eventu certi fieri possint. §. 27. *Inst. de legat.* sive liberi, sive servi, iique vel proprii (præterquam si servus adulterii cum dominâ commaculatus sit. *pr. h. t. l.* 48. § 2. *ff. h. t.*) vel alieni, etiam hereditarii, ac pluribus communes. Et, si proprius servus heres instituatur, sive cum sive sine libertate, hereditatem sibi ipsi ac libertatem acquirit, heresque domino necessarius efficitur, si modo ad mortem domini manserit in potestate ejus, adeoque ex eodem testamento hereditatem & libertatem nanciscatur. Nam si à vivo domino manumissus sit, non necessarius sed voluntarius domino heres est. Sin alienatus, non sibi sed novo domino acquirit hereditatem. Quod si alienus institutus sit, acquirit domino jubenti ut adeat, & si plures sint domini, singulis jubentibus pro ratâ; si hereditarius, heredi futuro; sibi ipsi, si ante aditionem manumissus sit; novo domino, si alienatus. *pr. &* §. 1. 2. 3. *h. t.* §. 1. *Inst. de hered. qual. & diff.*

3. Potest autem quis & unum & plures in infinitum, quotquot voluerit, heredes scribere. §. 4 *h. t.* etiam universitates hominum, collegia licita ac comprobata, civitates, ecclesiam, pauperes &c. *l.* 8. *l.* 12. *C. h. t. l.* 1. *l. ult. C. de sacros. eccles.*

4 Hereditas vulgo venit *assis* appellatione, ac conti-

uncias duodecim; habentque assis partes majores minoresve sua propria nomina ab unciâ usque ad assem, ita sextans continet duas uncias quasi sexta pars assis; quadrans tres uncias, quasi quarta pars assis, triens quatuor uncias, quasi tertia assis pars; quincunx quinque; semis sex uncias, quasi semi as; septunx septem; bes vel bessis octo uncias, quasi duessis seu duæ assis partes tertiæ; dodrans novem, tanquam cui deest quadrans; decunx vel dextans decem, quasi cui deest sextans: deunx undecim, tanquam cui uncia deest §. 5 *h. t.*

5. Quia vero paganus non potest initio inspecto pro parte testatus, pro parte intestatus mori. §. 5 *h. t. l.* 7. *ff. de reg juris.* (secus, ex postfacto *l.* 15 *in fine ff. de inoff. test.*) hinc varia profluunt. Nam si heredem instituerit ex re certâ, nullo dato coherede, ex asse heres erit, detractâ rei mentione. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* si alium ex re certâ, alium sine re, ex re certâ scriptus legatarii loco habetur, alter solus heres est. *l.* 13. C. *h. t.* si plures ex re certâ scripserit, æquales singuli capient hereditatis partes, licet testator eis inæquales assignaverit portiones in re, in quâ instituti sunt. *l.* 9. §. 13. *ff. h. t.* si omnes simpliciter sine re vel parte instituti sint, virilem singuli partem habent; præterquam si quasdam personas collectivo nomine conjunxerit, veluti *Titium & filios Mævii*; tunc enim filii Mævii, quotquot fuerint, unam tantum partem capiunt; nisi filios Mævii *æquè* heredes scripsisset, quo casu singulis Mævii filiis æque ac Titio virilis pars obveniret. *l.* 11. *l.* 13. *ff. h. t.* Quod si testator singulis institutis partes assignaverit, si quidem illæ assem non consumant, accrescit singulis pro ratâ; sin assem excedant, decrescit singulis. Sed si quibusdam partes datæ sint, alii sine parte scripti, hi quod ex asse superest percepturi sunt; vel asse consumto, id quod ex dupondio seu viginti quatuor unciis superest; quo etiam consumto, ad

tri-

tripondium id est triginta sex uncias reccurrendum foret. §. 5. 6. 7. 8. *h. t. l.* 17. *ff. h. t.* nisi testator dixerit, *ex reliquâ parte Titius heres esto*; tunc enim asse vel dupondio consumto Titius nihil habet, quia nihil superest. *l.* 17. §. 3. *ff h. t.*

6. Fieri potest heredis institutio vel pure vel sub conditione; non item ex certo die vel ad certum diem; & si dies sit appositus, pro non scripto habetur, acperinde est, ac si pure heres institutus esset. §. 9. *h. t.* dies autem, de quo incertum an extiturus sit, conditionis loco est. *l.* 75. *ff. de condit. & demonstrat.* Sed nec captatoria institutio valet, quæ scilicet collata est in secretum alienæ voluntatis. *l.* 70. 71. *ff. h. t.* nec ea, quæ in arbitrium tertii expresse (secus si tacite) collata est. *l.* 68. *ff h. t.*

7. Conditio proprie est casus adjectus, actum suspendens propter incertum futurum eventum.

8. Sed latius accepto conditionis vocabulo, conditio vel possibilis est vel impossibilis.

9. Possibilis iterum triplex est; potestativa, casualis, & mixta.

10. Potestativa dicitur, quæ est in honorati potestate; veluti, *si in Capitolium ascenderit* &c.

11. Casualis, quæ non ab arbitrio honorati sed ab incerto eventu pendet; veluti, si cras pluat, si Mævius consul fiat.

12. Mixta, quæ partim ab arbitrio honorati, partim ab incerto eventu dependet; veluti, si, Mævio consule, in Capitolium ascenderit.

13. Impossibilis itidem triplex; naturâ, jure seu moribus, & verborum perplexitate.

14. Naturâ impossibilis est, quæ per rerum naturam nequit existere, seu impleri; veluti, si digito cœlum tangat. §. 21. *Inst. de inutil. stipul.*

15. Jure seu moribus impossibilis est, quæ pietatem, verecundiam, existimationem lædit, & contra leges ac bonos mores est; veluti, si nudus in foro saltaverit,

verit, si furtum fecerit. *l. 15. ff. de condit. institut.*

16. Verborum perplexitate impossibilis est, quæ exitum invenire nequit; veluti, si Titius heres erit, Sejus heres esto, si Sejus heres erit, Titius heres esto. *l. 16 ff. de condit. institut.*

17. Possibilis conditio institutioni adjecta sive potestativa, sive casualis, regulariter existere debet: ut tamen quandoque potestativa pro impletâ habeatur, licet vere impleta non sit, præcipue, si non per honoratum, sed per eum, in cujus personâ debebat impleri, steterit, quo minus impleatur. *l. 33. §. 1. ff. de fideic. libert. l. 14. l. 45. ff. de condit. & demonstr.* Impossibilis naturâ vel moribus pro non scriptâ habetur, sic ut pure facta censeatur institutio, § 10. *h. t.* At impossibilis verborum perplexitate vitiat institutionem. *l. 16. ff. de condit. institut.*

18. Si plures conditiones institutioni sint appositæ, si quidem conjunctim, omnibus parendum est; sin separatim seu disjunctim, unam ex iis impleri sufficit. § *pen. h. t.*

TIT. XV.

De vulgari substitutione.

1. Substitutio est secundi vel ulterioris heredis institutio in locum prioris deficientis.

2. Et quadruplex est; vulgaris, pupillaris, quasi pupillaris seu exemplaris, & militaris

3. Vulgaris est, quæ fit a quovis testatore cuivis instituto in casum vulgarem seu primum, si institutus heres non erit. *pr. h. t.*

4. Atque hæc vel expressa est vel tacita.

5. Expressa. quæ verbis expressis in testamento fit.

6. Tacita, quæ sub expressâ pupillari substitutione comprehenditur. *l. 4. ff. de vulg. & pup. substit.*

7. Pos-

7. Possunt autem vel plures substitui in locum unius, vel unus in plurium, vel singuli in singulorum, vel invicem ipsi qui heredes instituti sunt; quo postremo casu reciproca ac compendiosa substitutio dici potest. §. 1. *h. t. l.* 4. §. 2. *ff. de vulg. & pup. substit.* Et si coheredes sibi invicem substituti sint, cum ex disparibus partibus instituti essent, partes in institutione datæ censentur repetitæ in substitutione. §. 2. *h. t. l.* 24. *ff. h. t.* nisi testator heredum singulorum nomina propria in substitutione repetierit; cum nominum propriorum enumeratio faciat, eos inter se exæquatos videri. arg. *l.* 124. *ff. de legat.* 1.

8. Liberum verò testatori est, tot substitutionis gradus facere, quot voluerit. *pr. h. t.* atque tunc substitutus substituti est etiam substitutus primi instituti: unde si testator dixerit, *primus & secundus heredes mihi sunto, si primus heres non erit, secundus heres esto, & si secundus heres non erit, tertius heres esto*; deficiente primo ac secundo, tertius substitutus ad utriusque partem admittendus est. §. *pen. h. t.*

9. Evanescit vulgaris substitutio morte substituti ante institutum; uti &, si institutus adeat hereditatem. Nec substituto regulariter locus est, quamdiu institutus adire potest. *l.* 69. *ff. de acquir. vel omitt. hered.* nisi testator servum instituerit, quem liberum putabat, eique hominem liberum substituerit; quo casu inter institutum & substitutum hereditas æquis portionibus dividenda est. §. *ult. h. t.* vel nisi obæratus servum proprium instituerit, eique hominem liberum substituerit: tunc enim substitutus propter legem Æliam Sentiam præfertur instituto. *l.* 57. *ff. de hered. instit.*

10 Cæterum verba illa, *si heres non erit*, in illo quidem, qui alienæ potestati subjectus est, sic accipiuntur, si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit: in eo vero, qui sui juris est, illud significant, si hereditatem sibi, vel ei, cujus juri

postea subjectus esse cœperit, non acquisierit. *d.* §. *ult. h. t.*

TIT. XVI.

De pupillari substitutione.

1. Pupillaris substitutio est, quâ pater vel avus paternus, non mater, liberis impuberibus in potestate constitutis, nec in alterius potestatem recasuris, institutis vel exheredatis, substituit in casum secundum, si heredes erunt & intra pubertatem morientur. *pr. &* §. 4. *h. t. l.* 2. *ff. h. t. de vulg. & pup. substit.*

2. Et hæc quoque vel expressa est, vel tacita, quæ sub expressâ vulgari substitutione continetur; quatenus pater, cum filio impuberi in alterum casum substituit, in utrumque substituisse intelligitur, sive filius heres non extiterit, sive extiterit & impubes decesserit. *l* 4 *ff h. t.*

3. Substitutio hæc pupillaris est pars & sequela paterni testamenti, & ideo pater paganis liberis suis substituere non potest, nisi & sibi faciat testamentum. §. 5. *h. t.* idque ita, ut vel simul sibi & filio unâ tabulâ testamentum faciat, vel prius sibi, dein filio aliâ tabulâ; non prius filio, dein sibi; nisi in eâdem tabulâ conjungatur institutio & substitutio, atque ita solus convertatur ordo scripturæ *l.* 2. §. 4. 5. *ff. h. t. de vulg & pup. subst.* Unde etiam est, quod in pupillari substitutione duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii; aut certe unum testamentum duarum hereditatum. § 2. *h. t.* Sed & necesse, ut patris testamentum valeat, alioquin nec substitutio valeret. *d.* §. 5. *h. t.* Quod si patris testamentum ab initio substiterit, sed postea infirmetur jure tantum prætorio, per bonorum possessionem contra tabulas, adhuc subsistent tabulæ pupillares.

lares. *l.* 34. §. *ult. l.* 35. *ff. h. t.* Idemque est, si jure civili pro parte tantum infirmatum sit, puta, per querelam inofficiosi testamenti ex jure novo *nov.* 115. *cap.* 3. *in fine.* secus, si in totum, veluti, per agnationem veri aut quasi posthumi, aut jure veteri per querelam inofficiosi. arg. *l.* 8. §. 5. *ff. de in-off. test.*

4. Substitui potest pupillariter vel singulis liberis, quo casu omnes testati decedere intelliguntur; vel novissimo morienti, atque tunc jus legitimarum hereditatum integrum inter eos censetur custoditum. §. 6. *h. t.* & si omnes unâ ruinâ aut naufragio simul pereant, ac ignoretur, uter alteri supervixerit, substituto tamen locus est, quia supremus non is demum habetur, qui post omnes, sed etiam post quem nemo est. *l.* 34 *ff. h. t.*

5. Quod si pater eosdem filio, quos sibi heredes fecerit, vocati censentur impubere mortuo filio illi, qui & scripti sunt heredes, & extiterunt, & pro quâ parte heredes facti sunt. §. 7. *h. t. l.* 3. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.*

6. Si tamen pater duos sibi heredes fecerit, ac eos unà cum tertio substituerit filio impuberi, in tres partes impuberis hereditas æqualiter dividenda foret. *l. ult.* C. *de impub. & aliis substit.*

7. Evanescit substitutio pupillaris pubertate. §. 8. *h. t.* vel alio tempore breviore per substituentem præfinito. *l.* 21. *ff. h. t.* in longius tempus ultra pubertatem facta nullius momenti est post pubertatem. *l.* 7. *l.* 14 *ff. h. t.* Corruit &, pupillo ante patrem, vel substituto ante pupillum moriente, vel pupillo per parentem vivum emancipato. *l.* 2. *ff. de vulg. & pup. substit.* infirmato quoque in totum paterno testamento ex jure civili, ut ante dictum.

8. Quasi pupillaris seu exemplaris substitutio est, quâ pater vel mater liberis puberibus furiosis, vel mente captis, vel prodigis, vel mutis & surdis, saltem in le-

gitimâ institutis, non item exheredatis, substituit in casum, quo heredes erunt, & intra furorem vel amentiam morientur. §. 1. *h. t. l. 9. C. de impub. & aliis substit. l. 43. ff. h. t.* Ut tamen primo loco substituantur liberi ejus, qui furiosus est; deinde fratres. *d. l. 9.* ac substitutio hæc evanescat, si hi, quibus substitutum est, ad sanam mentem aut sanos mores ita redierint, ut sibi ipsis testari queant. *d. §. 1. h. t.*

9. Militaris substitutio est, quâ miles ex privilegio liberis & extraneis institutis ultra pubertatem substituit in casum, quo heredes erunt, & quandocunque vel intra certa tempora per testatorem præfinita morientur. Cujus substitutionis hic effectus est, quod substitutus capiat bona a milite substituente profecta, non item alia. *l. 15. ff. h. t. de vulg. & pup. substit. l. 6. C. de testam. milit.*

10. Cæternm reciproca seu compendiosa substitutio non facit novam speciem a vulgari, pupillari, aut exemplari distinctam; sed potius in iis omnibus locum habere potest; sicut aliquando vulgarem solam, aliquando vulgarem simul & pupillarem, vel quasi pupillarem, vel militarem complectatur. *l. 4. §. 1. 2. l. 14. ff. de vulg. & pup. substit.*

TIT. XVII.

Quibus modis testamenta infirmantur.

1. Testamenta vel ab initio nulla sunt, aut injusta, vel cum jure ab initio facta essent, infirmantur, idque vel ipso jure, vel officio judicis per querelam inofficiosi testamenti. Ipso jure, si rumpantur vel irrita fiant.

2. Nullum dicitur testamentum, in quo suus heres est præteritus. *pr. Inst. de exher. liber. l. 16. §. 1 in fin. ff. de*

de vulg. & pup. subst. l. 1. ff. de injust. rupt. irrit. fact. test.

3. Injustum, seu non jure factum, in quo desunt juris solennitates. *l. 1. ff. de injust. rupt. irrit. fact. test.*

4. Ruptum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur. §. 1. *h. t.* Et fit vel agnatione veri aut quasi posthumi, ut dictum *tit.* 13. vel mutatione voluntatis.

5. Mutatio voluntatis contingit condito posteriore testamento; quippe quo prius rumpitur, si modo posterius vel ex jure communi, vel ob privilegium sit perfectum, sic ut ex eo potuerit de jure adiri hereditas, licet re ipsâ non adeatur, dum conditio institutionis defecit, vel institutus non vult adire, aut non potest, quia mortuus aut incapax effectus est, §. 2. *h. t.* Quod si testamentum posterius apertum vacuum inveniatur, vel careat heredis institutione, vel conditio in præteritum aut præsens concepta non extiterit, vel desint solennia, vel posterius inchoatum sed non ad finem perductum sit, prius testamentum ratum manet, quia nullo casu heres ex posteriore existere potuit. §. 2. & 7. *h. t. l.* 11. *l.* 16. *ff. de injust. rupt. irrit. test.*

6. Si tamen in posteriore quinque tantum testibus munito scripti sint heredes, qui & ab intestato successissent, cum in priore extranei scripti essent, prius adhuc rumpitur per posterius imperfectum. *l.* 21. §. 3. *C. de testamentis.* Uti vice versâ quandoque prius vires retinet, licet posterius perfectum sit, puta, si testator expresse rogaverit in posteriore, ut prius valeat; quo casu jure codicilli prius sustinebitur, eruntque obligati heredes in posteriore scripti, ut deductâ quartâ hereditatem restituant institutis in testamento priore. §. 3. *h. t.* vel si testator falso crediderit, heredem primo testamento scriptum mortuum esse, & hoc ipsum posteriore testamento expresserit;

tunc

tunc enim heres in primo teſtamento ſcriptus adibit tanquam ſcriptus in poſteriore, & legata præſtabit poſteriore teſtamento data. *l. ult. ff. de hered. inſtit.*

7. Nudâ autem teſtatoris voluntate teſtamentum non rumpitur. §. 7. *h. t.* Sed nihilobſtat, quo minus infirmet teſtator, ſolenniter coram ſeptem teſtibus, idoneis, ſpecialiter rogatis declarando, ſe velle inteſtatum mori, quia nihil tam naturale eſt, quam unumquodque eo genere ſolvi, quo ligatum eſt. *l. 35. ff. de reg. iur.* uti &, ſi coram tribus teſtibus, aut apud acta ſuam revocaverit voluntatem, ac cum illâ revocatione concurrat decennii lapſus a condito teſtamento. *l. 27. C. de teſtament.* denique ſi non per furorem, ſed conſulto, conſcindat, comburat, corrumpat, deleat teſtamentum, eo animo, ut inteſtatus moriatur. *l. ult. ff. de injuſt. rupt. irrit. l. ult. & tot. tit. ff. de his quæ in teſt. delentur.*

8, Irritum teſtamentum fit, cum ex eo non aditur hereditas. *l. 1. ff de injuſt. rupt. irrit.* aut teſtator ex conſcientiâ ſceleris mortem ſibi conſciſcit. *l. 6. §. 7. in med. ff. de injuſt. rupt. irrit.* vel capitis diminutionem maximam, mediam, aut minimam patitur, atque ita amittit activam teſtamenti factionem. §. 4. *h. t.* Si tamen minimam paſſus capitis diminutionem iterum ſui juris efficiatur, nec voluntatem mutaverit, ſuſtinetur ejus teſtamentum jure prætorio, datâ bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas. §. 6. *h. t.* Quin & jure civili convaleſcit, ſi teſtator adverſus maximam aut mediam capitis diminutionem per indulgentiam Principis pleniſſime reſtitutus ſit. *l. 6 §. 12. ff. de injuſt. rupt. irrit.*

3. Cæterum ex imperfecto teſtamento ne Princeps quidem capit; ſicut nec hereditatem, in quâ litis cauſâ ſcriptus eſt: licet enim ligibus ſolutus ſit, tattamen legibus vivit. §. *ult. h. t.*

TIT.

TIT. XVIII.

De inofficioso testamento.

1. Testamentum inofficiosum dicitur, quod contra pietatis officia factum est, exheredatis iis, qui institui debuerant, aut præteritis eâ præteritione quæ pro exheredatione est. *pr. h. t. l. 4. ff. h. t.* Et tunc testator fingitur non fuisse sanæ mentis, petiturque rescissio testamenti per querelam inofficiosi testamenti: quæ est actio in rem primario, & species quædam petitionis hereditatis, quâ quis injuste exheredatus petit, testamentum tanquam inofficiosum rescindi, & se heredem declarari, sibique hereditatem restitui *l. 21. §. 2. ff. h. t. l. 34. C. eod. tit.*

2. Datur primo loco liberis injuste exheredatis a patre, aut præteritis a matre, sive sui sive emancipati, sive nati, sive posthumi, sive primi, sive ulterioris gradus sint, quoties in parentis intermedii prædefuncti locum successerunt. *§. 1. 2. h. t. l. 7. C. h. t.* non tamen præteritis a patre vel avo paterno, quippe qui alio jure possunt ad hereditatem venire. *§. 3. h. t.* naturalibus ac spuriis contra matris quidem, at non contra patris testamentum. *l. 29 §. 1. ff. h. t.*

3. Liberis vero deficientibus, aut non agentibus, querela datur parentibus, tum exheredatis tum præteritis. *§. 1. h. t. l. 14. 15. ff. h. t.* Si & hi deficiant, fratribus germanis aut consanguineis, non item uterinis, exheredatis aut præteritis conceditur; sed non aliter, quam si turpis persona, juris aut facti infamiâ laborans, iis prælata sit. *l. 27. C. h. t. §. 1. h. t.* Aliis ultra fratres & sorores non datur. *l. 1. ff h. t.*

4. Instituenda querela adversus heredes institutos, cujuscunque conditionis, etiam ipsum Imperatorem. *l. 8. §. 2. ff h. t.* intra quinquennium ab aditâ heredi-

ditate, vel ex quo lis ſuper hereditate inter litigantes finita eſt. *l.* 16. *l.* 36. §. 2. *C. h. t.*

5. Effectus querelæ jure motæ olim erat, quod totum teſtamentum everteretur: ſed jure novo ſola infirmatur inſtitutio; reliqua omnia firma permanent. *auth. ex cauſa* C. *de liberis præterit. nov.* 115. *cap.* 3. *in fine.*

6. Si quis temere & ſine causâ querelam movens ſuccumbat, perdit legata ſibi relicta. *l.* 8. §. 14. *ff. h. t.* niſi tutor id fecerit pro pupillo ex officii neceſſitate. §. 5. *h. t.*

7. Ceſſat querela I. Si quis illam repudiaverit aut ſuper eâ transegerit. *l.* 17. *ff. h. t. l.* 6. *C. de tranſact.* II. In tabulis pupillaribus. III. In caſtrenſi aut quaſi caſtrenſi peculio. *l.* 24. *l. ult. C. h. t.* ac militis teſtamento. *l.* 9. *C. h. t.* IV. Lapſo quinquennio, ut ante dictum. V. Si quis judicium defuncti agnoverit, petendo legata ſibi vel aliis relicta. *l.* 10. §. 1. *l. ult. ff. h. t.* niſi tutor a proprio parente exheredatus id fecerit pro pupillo ex officii neceſſitate. §. 4. *h. t.* VI. Si exheredatus ante querelam cœptam ſeu præparatam ſit mortuus; quippe quam non ad heredes extraneos, ſed tantum ad ſuos tranſmittit, *l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t. l.* 34. *C. h. t.* VII. Si legitima relicta ſit, quæ eſt portio portionis ab inteſtato debitæ, olim quarta, jure novo triens, ſi liberi quatuor aut pauciores ſint; ſemis, ſi plures ſint quam quatuor. *novell.* 18. *cap.* 1. ac titulo inſtitutionis ex jure novo relinquenda eſt, cum jure veteri etiam titulo legati potuiſſet dari. §. *ult. h. t.* junct. *nov.* 115. *cap.* 3. *in pr.* Si minus relictum ſit quam legitima, non querelæ, ſed actioni ad ſupplementum (quæ eſt condictio ex *l.* 30. *C. de inoff. teſt.*) locus eſt, ut repleatur quod deeſt legitimæ. §. 3. *h. t. d. l.* 30. *C. h. t.* VIII. Ceſſat præcipue, ſi exheredatio vel bonâ mente facta ſit. *l.* 18. *ff. de lib. & poſthum.* vel ex juſtâ causâ legibus comprehensâ, & teſtamento inſertâ,

ac

ac per heredes probatâ. *nov. 115. cap. 3. in pr. & fere in fine.* Quales causæ recensentur quatuordecim in liberis *nov. 115. cap. 3.* octo in parentibus. *nov. 115. cap. 4.* in fratribus tres, puta si ingrati, si infames, & si servus institutus sit heres necessarius. *l. 11. l. 27. C. h. t. novell. 22. cap. 46. 47.* Quas tamen ad similes vel graviores extendi posse, verius est. *arg. l. 12. l. 13. ff. de legibus.*

TIT. XIX.

De heredum qualitate & differentiâ.

1. Heredes vel necessarii sunt, vel sui & necessarii, vel extranei.

2. Necessarii sunt servi a propriis dominis heredes instituti, ac ex testamento eorum hereditatem simul & libertatem habentes §. 1. *h. t. pr. & §. 1. Inst. de hered. instit.*

3. Sui heredes sunt, qui proximum a testatore gradum in potestate obtinent, quasi sibi ipsis succedentes, dum patri succedunt. §. 2. *h. t. l. 11. ff. de liberis & posth.* quales jure civili etiam erant heredes necessarii; sed prætor iis dedit beneficium abstinendi, si damnosam credant esse patris hereditatem. *d. §. 2. h. t.*

4. Extranei heredes sunt omnes cæteri, qui nec sui sunt, nec necessarii. § 3. *h. t.* Quibus non aliter competit facultas hereditatis adeundæ, quam si testamenti factionem passivam tribus habuerint temporibus, puta, facti testamenti, mortis testatoris, & aditæ hereditatis. Quamvis non noceat, si quis medio tempore inter conditum testamentum ac mortem testatoris incapax fuerit. § 4. *h. t.*

5. Hereditatis recte delatæ sive ex testamento sive ab intestato aditio fit per heredes extraneos, immixtio vero per suos; eaque vel verbis, dum quis simplici-

ter

ter verbis voluntatem hereditatis suscipiendæ declarat: vel re, seu pro herede gestione; dum quis animo hereditatis adeundæ contrectat res hereditarias, aut quas putat tales esse. §. *ult. h. t. l.* 20. *l.* 21. §. 1. *l.* 88. *ff. de acquir. vel omitt. hered.*

6. Aditur vero hereditas, vel ex jure veteri, adhibito jure deliberandi; vel ex jure novo, confecto inventario §. 5. 6. *h. t.*

7. Jus deliberandi est facultas heredi concessa, ut intra constitutum tempus (novem mensium ex concessione prætoris, vel anni ex concessione Principis, secundum jus novissimum) consultare ac perquirere possit, utrum hereditatem adire velit, nec ne. §. 5. *h. t. l. ult.* §. 13. *C. de jure delib. l.* 5. *ff. eod. tit.* Quâ deliberatione durante, petere potest, sibi fieri copiam instrumentorum inspiciendorum, & licentiam alienandi ea, quæ tempore deteriora futura sunt; uti & alia in usus necessarios. *l.* 5. 6. 7. 8. 9. *ff. de jure deliber.*

8. Adhibito hoc jure deliberandi heres adiens obligatur ad omne æs alienum defuncti solvendum, ac jure novo etiam ad integra legata, licet hereditas solvendo non sit, cessante lege Falcidiâ. *d.* §. 5. *h. t. l. ult.* §. 14. *in med. C. de jure delib.*

9. Si quis jure novo cum inventario adire velit, repertorium bonorum omnium inchoandum est intra dies triginta a tempore scientiæ delatæ hereditatis, ac absolvendum intra dies proximos sexaginta, seu in universum inchoandum ac absolvendum intra dies nonaginta; nisi patrimonium defuncti sit nimis diffusum, quo casu anni spatium indultum. Citandi insuper omnes illi, quorum interest, creditores & legatarii; adhibendus & tabellio ac testes fide digni tres: denique inventario jam perscripto subscribendum per heredem, aut pro eo per tabellionem alium, si ipse literarum imperitus sit. Dum autem his occupatus est, nec a creditoribus, nec a legatariis

riis interim conveniri potest. Absoluto verò rite inventario, ex aditione non tenetur creditoribus hereditariis ultra vires hereditatis, ac ex legatis Falcidiam salvam habet, nec amittit confusione ea, quæ sibi à defuncto debita sunt; deducit denique quæcunque in funus, aut inventarii confectionem, aut testamenti insinuationem, aut bonorum distractionem erogavit. *l. ult. per tot. C. de jure delib.*

TIT. XX.

De legatis.

1. Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda. §. 1. *h. t.* dum heres vel dominium rei legatæ in legatarium transfert, vel saltem possessionem iis in casibus, quibus dominium rectâ viâ a defuncto in legatarium translatum est.

2. Legatorum olim quatuor erant genera: relinquebantur enim vel per damnationem, ac tunc petebantur actione personali ex testamento: vel per vindicationem, & tunc rei vindicationi locus erat: vel sinendi modo, quo casu actio in personam erat: vel denique per præceptionem; ad quod legatum consequendum judicim familiæ erciscundæ competebat. Sed jure novo exæquata fuit omnium legatorum natura; ac plerumque arbitrio & electione legatarii tribus actionibus peti possunt. §. 2. *h. t. l.* 76. §. 8. *ff. de legat.* 2. puta rei vindicatione, ex jure ficti dominii, quod rectâ viâ à defuncto in legatarium transit. *l.* 64. *in fine ff. de furtis.* vel actione ex testamento, ex quasi contractu, quatenus heres adeundo non quidem ex vero, sed ex quasi contractu incipit legatariis obstrictus esse. §. 5. *Inst. de oblig. ex quasi contractu.* vel actione hypothecariâ, quæ pro fundamento habet jus pignoris legalis, quod legatariis pro legatis consequendis à lege in bona defuncti da-

tum est, ut in his præferantur creditoribus non defuncti, sed heredis. *l.* 1. *C. commun. de legatis.* Quibus actionibus locus non est, nisi postquam legati dies cessit & venit. Dies *cedere* dicitur, cum quid incipit deberi; *venire* verò cum quid incipit peti posse. *l.* 213. *ff. de verb. signif.* Legati autem puri & in diem certum relicti dies cedit statim à morte testatoris, venit aditâ hereditate aut die existente; at dies legati conditionalis, vel relicti sub incerto die quæ conditionis loco est, cedit & venit demum existente conditione. *l.* 5. §. 1. 2. *l.* 21. *ff. quando dies legat. cedat.*

3. Nec tantum legata legatis, sed & fideicommissis exæquata sunt. §. 3. *h. t.*

4. Legari possunt res omnes, quæ sunt in commercio. Legatis rebus extra commercium positis, veluti, campo Martio, rebus sacris, sanctis &c. nec res, nec æstimatio debetur. §. 4. *h. t.* Ut tamen sufficiat, rem in commercio legatarii esse, licet heres commercio careat, ad id, ut legatum debeatur. *l.* 49. §. 2. 3. *ff. de legat.* 2. *l.* 34. *ff. de verb. oblig.*

5. Nec tantum res propria testatoris, sed & heredis & aliena recte legatur; sic ut vel redimenda, vel æstimatio ejus præstanda sit; si modo testator sciverit alienam esse: nam si ignoraverit, nec res, nec æstimatio debetur. *d.* §. 4. *h. t.* nisi conjunctæ personæ relicta sit. *l.* 10. *C. de legatis.* Scientiæ autem probatio incumbit legatario, tanquam actori & affirmanti. §. 4. *in fine h. t.* junct. *l.* 23. *C. de probat.*

6. Si res testatoris, sed alteri pignori obligata, legetur, heredis est eam luere seu liberare à vinculo pignoris, nisi testator ignoraverit pignoris obligationem, aut expresserit, legatarium debere luere. §. 5. *h. t.* vel universitas rerum legetur, veluti dos, cujus res singularis obligata est. *l.* 15. *ff. de dote præleg.*

7. Quod si res aliena legata, vivo testatore, legatario jure dominii acquisita sit, si quidem titulo oneroso, velut

velut emtione, actione ex testamento pretium ab herede consequi potest; sin lucrativo, veluti donatione, agere nequit, quia duæ causæ lucrativæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt. §. 6. *h. t.* Hinc &, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur, ac ex primo testamento rem nactus sit, ex secundo æstimationem petere nequit; sin æstimationem, agere potest. *d.* §. 6. *in fine h. t.* Si partem ex causâ onerosâ, partem ex lucrativa nactus sit legatarius, idem in parte unaquaque, quod in toto, servatur. *l.* 82. §. 2. *ff. de legatis.* 1. Sed &, si nudam rei legatæ proprietatem vivo testatore acquisiverit ex titulo oneroso, & usufructus deinceps extinctus proprietati accedat, legatarius rem petens, nudæ proprietatis æstimationem, deducto usufructu, officio judicis consequitur. §. 9. *h. t.* nec videtur plus petiisse, petendo rem, quia usufructus in petitione non facit partem rei, sed consideratur ut servitus a proprietate separata. *d.* §. 9. *h. t.* seu, recte quis dicit, totum fundum suum esse, etiam cum ususfructus alienus est, quia ususfructus non dominii pars sed servitutis est. *l.* 25. *ff. de verb. signif.*

8. Possunt & legari res futuræ, veluti fructus nascituri. §. 7. *h. t. l.* 24. *ff. de legat.* 1.

9. Legatâ certâ fructuum nasciturorum quantitate ex certo fundo, si minus natum sit, non debetur ultra id quod natum est, si fundus taxationis causâ adjectus sit. *l.* 5. *ff. de tritico, vino, vel oleo legato. l.* 8. §. 2. *ff. de legat.* 2. si vero tantum demonstrationis & facilioris præstationis gratiâ, totum debetur, quantum legatum est. *l.* 12. *ff. de aliment. & cib. leg.*

10. Res legatarii propria pure inutiliter ei legatur, quia quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri nequit: & licet vivo testatore alienaverit eam, tamen nec res nec æstimatio debetur. §. 10. *h. t.* propter regu-

lam Catonianam, quâ id, quod initio non valet, tractu temporis convalescere non potest. *l.* 29. *ff. de reg. juris:* secus, si legaverit testator sub conditione, si legatarius eam vivo testatore alienaverit *l.* 1. §. *ult. ff de reg Caton.* quia Catonis regula non pertinet ad dispositiones conditionales. *l.* 4 *ff eod. tit.* Sane, si quis rem suam legaverit tanquam legatarii propriam, vel tanquam alienam, valet legatum non obstante errore, quia voluntas exitum invenire potest, §. 11. *h. t.*

11. Quod si testator, qui rem suam legaverat, eandem postea actu inter vivos alienaverit, si quidem ex liberâ voluntate, veluti per donationem, legatum extinguitur. *l.* 18. *ff. de adim. vel transfer. leg.* sin ex necessitate, ratum manet *l.* 11 §. 12. *ff. de legat.* 3. §. 12. *Inst. de legat.* sicut &, si pignori obligaverit; quia pignoris obligatio ad necessariam magis quam ad voluntariam alienationem accedit. *d.* §. 12. *h. t.*

12. Potest & creditor debitori suo legare liberationem a debito, sive toto, sive parte, sive ad tempus, sive in perpetuum §. 13. *h. t.* sive expresse, sive tacite, dum legat chirographum, quo se creditor devinxit *l.* 3. §. 1 *ff. de liberat. legat.* (non item, dum legat pignus. *l.* 1. § 1. *ff. de liberat. leg.*) Cujus legati effectus est, ut debitor ab herede creditoris conventus, exceptione doli tueri se possit; vel etiam actione ex testamento petere, ut acceptilatione vel pacto pro circumstantiarum diversitate liberetur. *d.* §. 13. *h. t. l.* 3 § 3 *ff. de liberat. legat.*

13. Vice versâ debitor quoque creditori suo recte legat, quod debet; si modo plus sit in legato quam in debito. §. 14. *h. t.* sive re, sive tempore, sive loco, sive causâ plus in legato sit, secundum ea, quæ de plus petitionibus traduntur in. § 33 *Inst. de action.* & si pure legatum sit, quod ex die vel conditione debitum erat, ac vivo testatore dies vel conditio extiterit, utile nihilominus manet legatum. *d.* §. 14.

h. t.

h. t. quia non est novum, ut ea, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. *l.* 85. §. 1. *ff. de reg. juris.* quamvis hic veterum dissensus fuerit. *d.* § 14. *h. t. l.* 82. §. 2. *ff. de legat.* 2.

14. His consequens est, maritum, qui ad dotem uxori reddendam actione rei uxoriæ, ac jure novo actione ex stipulatu, conveniri potuit, uxori tamen recte dotem prælegare; quia plus est in legato, ex quo statim peti potest, quam in actione de dote, in quâ mobilia non statim, sed annuâ, bimâ, trimâ die, jure novo intra annum reddenda sunt. §. 15. *h. t.* junct. *l. unic.* §. 7. *C. de rei uxor. act. l.* 1. § 2. *ff. de dote præleg.* Si dos prælegetur, quæ numerata non est, nec certa res aut quantitas expressa sit, inutile legatum est; eâ vero domonstratâ, ratum est. §. 15. *h. t. l.* 1 § 7 8. *ff. de dote præleg.* quia falsa demonstratio non vitiat legatum. § 30. *h. t.*

15. Interim res legatæ si perierint, legatario pereunt, non heredi, nisi factum heredis aut culpa, etiam levissima, intervenerit. *l.* 47. §. *pen. ff. de legat.* 1. §. 16. *h. t.* Si ex duabus rebus principalibus una perierit, altera adhuc debita est: adeoque si ancilla cum partu, vel servus ordinarius cum vicario legatus sit, ancillâ pereunte vel servo ordinario, partus ancillæ vel vicarius debetur. §. 17. *h. t.* Sed si res principalis cum suâ accessione legetur, veluti servus cum peculio, fundus cum instrumento ejus, alienato vel extincto servo, vel fundo, nec peculii aut instrumenti legatum peti potest. *d.* §. 17 *h. t.* Quod si universitas quædam rerum legata sit, augmentum & decrementum postea contingens lucro legatarii & damno est. Grege proinde legato, cedunt legatario illæ oves, quæ postea adjectæ sunt; sicut ædibus legatis columnæ & marmora postmodum apposita: & vice versâ si ad unam ovem pervenerit grex legatus, ea sola debetur; quemadmodum, collapsis ædibus, area legati no-

mine peti potest. § 18. 19. *h. t. l. 22. ff. de legat.* 1. Et hæc ita in proprietate legata; nam usufructu gregis aut domus relicto, nec usufructus debetur unius ovis, quæ sola superest, nec in area usufructus manet. *l. ult. ff quib. mod. ususfr. amitt* § 3. *Inst. de usufr.* Peculio quoque legato, augmentum omne usque ad mortem testatoris legatario acquiritur; quod autem a morte testatoris usque ad aditam hereditatem accessit, legatario non cedit, nisi ex ipsis rebus peculiaribus provenerit, veluti ex fœturâ gregis peculiaris; vel nisi ipsi servo, in testamento manumisso, peculium suum legatum sit. §. 20. *h. t.* junct. *l. unic* §. 6. *C. de caduc. toll.*

16 Porro non modo corpora sed & incorporalia legari possunt, veluti facta, ad quorum præstationem testator heredem damnare potest §. 21. *in fine h. t.* uti & actiones seu nomina; quæ per heredem cedenda legatario. §. 21. *h. t.* licet hic etiam sine cessione utilibus possit actionibus experiri. *l.* 18. *C. h. t. de legatis.* nisi testator vivus ipse nomen exegerit; tunc enim legatum extinguitur. *d.* §. 21. *h. t.* nec heredi, sed legatario nocet, si debitor solvendo non sit. arg. *l.* 4. *ff. de hered. vel act. vend.*

17. Quin & genera, seu res in genere legari, nihil vetat. §. 22. *h. t.* Quo casu electio legatarii est, nisi testator aliud voluerit. *d.* § 22. si modo corpus in genere legatum sit, & quidem tale, quod certos ab ipsâ naturâ, non ab artificis aut alterius hominis arbitrio, terminos habet, veluti servus, bos, equus; de quibus agit *d.* §. 22. Nam si non a naturâ sed ab arbitrio hominis dependeat determinatio rei in genere legatæ, qualis est domus, fundus, lanx, &c. electio magis heredis est. *l.* 37. §. 1. *ff. de legat.* 1. & si testator domum in genere legans nullam domum reliquerit in hereditate, derisorium magis quam utile legatum est. *l.* 71. *ff. de legat.* 1. Sed & , si testator res fungibiles in genere legaverit,

veluti

veluti certam olei vel vini quantitatem, non adjectâ qualitate, heredis in arbitrio est, cujus generis oleum, aut vinum dare velit. *l.* 4. *ff. de tritico, vino, vel oleo legato.* Quod si sine quantitatis & qualitatis expressione, vel expresſâ solâ qualitate, testator res fungibiles in genere legato dederit, electioni locus non est: nam si testator vinum reliquerit in hereditate, totum debetur; uti & totum illius qualitatis, si expressit qualitatem: nullo autem vino relicto, vel non ejus qualitatis, quæ expressa est, inutile legatum est. *l.* 7. *ff. de tritico vino vel oleo leg.*

18. Ubi autem legatario electio competit, nec pessimum eligere tenetur, nec potest optimum, sed tantum medium ex genere legato. *l.* 37. *ff. de legat.* 1. in quo legatum generis distat ab optionis legato; utpote in quo legatarius optimum optare potest. arg. *l.* 9. §. 1. *ff. de dolo malo.* sicut & tres optare species ex genere, si optio servorum aut aliarum rerum relicta sit. *l.* 1. *ff. de opt. vel elect. leg.* Et quamvis olim optionis legatum conditionale esset, si nempe legatarius optasset, ac corrueret, eo per mortalitatem aut aliter optare impedito; tamen jure novo purum est, & ad heredes legatarii transmittitur; qui si in optando dissentiant, sorte dirimitur, ut ad quem sors pervenerit, illius sententia in optione præcellat. § 23. *h. t.* Idemque est, si pluribus legatariis simul optio data sit. Quod si testator tertio permiserit optionem pro legatario faciendam, & is optare nolit vel non possit, ipsi legatario optare licet, dummodo non optimam sed mediæ æstimationis rem eligat. *l. ult.* §. 1. *C. communia de legatis.*

19. Legari potest omnibus illis, quibus testamenti factio passiva est; & quidem vel certis personis, vel incertis secundum jus novum, si modo ex eventu certæ fieri possint: sicut & posthumis, tum suis tum

extraneis. §. 24. 25. 26. 27. 28. *h. t.* Poteſt & vel uni legatum relinqui, vel pluribus res eadem; quo caſu conjuncti appellantur. Conjuncti vero triplices ſunt, aut re tantum, aut verbis tantum, aut re & verbis ſimul. *l.* 89 *ff de legat.* 3.

20. Re tantum conjuncti dicuntur; quibus una eademque res diverſis orationibus ſine partis mentione legatur; veluti *Titio fundum do, lego, eundem fundum Mævio lego,* quales etiam *disjuncti.* appellantur, quatenus verbis disjuncti ſunt. §. 8. *h. t.*

21. Verbis tantum conjuncti ſunt, quibus unâ oratione res una eademque pro partibus relinquitur, veluti *Titio & Mævio fundum æquis partibus do lego. l.* 89. *ff. de legatis* 3.

22. Re & verbis ſimul conjuncti, quibus unâ oratione una eademque res ſine partium mentione legatur; ut, *Titio & Mævio fundum Cornelianum do lego. d.* §. 8. *h. t. d. l.* 89. *ff. de legat.* 3.

23. Inter conjunctos re & verbis ſimul, uti & inter conjunctos re tantum, locum habet jus accreſcendi, quo ſcilicet portio perſonæ deficientis accreſcit portioni non deficientis; ſic ut uno collegatario nolente aut non valente ad legatum venire, illud totum ad collegatarium pertineat; nec aliter ſingulis pars rei legatæ acquiratur, ſeu legatum inter eos ſcindatur, qnam ſi ambo perveniant ad legatum. *d.* §. 8. *h. t.* At inter verbis tantum conjunctos jus accreſcendi ceſſare, probabilius eſt. *l.* 11. *ff. de uſufructu accreſc.*

24. Poteſt autem in legando error eſſe; poteſt & legato conditio, demonſtratio ac cauſa addi.

25. Si erratum ſit in nomine, prænomine, cognomine, vel agnomine legatarii, valet nihilominus legatum, ſi modo de perſonâ conſtet. §. 29. *h. t.* uti &, ſi in nomine proprio rerum teſtator erraverit, dum fundum *Cornelianum* pro *Semproniano* appellavit, ſi modo de fundo conſtet. *l.* 4. *ff. de legat.* 1.

Se-

Secus, si in nomine appellativo erraverit, veluti, si cum vellet *vestem* legare, *supellectilem* scripserit; quia rerum vocabula immutabilia sunt, & usu totius populi, non unius arbitrio valent. *d. l. 4. ff. de legat. 1. l. 7. §. 2. ff. de supellect. leg.*

26. Circa conditiones legatis additas idem juris est, quod in heredum institutionibus; de quo *in tit. de hered. instit.*

27. Demonstratio est peculiaris rei vel personæ descriptio. Falsa autem demonstratio non vitiat legatum, si modo de re vel personâ constet; veluti, si quis leget Stichum *vernam*, cum non verna, seu domi natus, sed emtus esset. §. 30. *h. t.* Si tamen falsa demonstratio circa sanguinis vinculum contigerit per errorem, inutile legatum est; ut, si quis Titio tanquam patri aut filio suo leget, qui talis non est. *l. 5. C. de testamentis.* arg. *l. 14. C. de probation.*

28. Causa est id, quod testatorem ad legandum impellit, & legatum antecedit. Falsa vero causa non vitiat legatum. §. 31. *h. t.* nisi heres docere possit, testatorem non fuisse legaturum, si scivisset, causam falsam esse. *l. 72. § 6. ff. de condit. & demonstr.* vel causa non de præterito, sed de futuro adjecta sit; tunc enim magis modus est, ac impleri debet. *l. 40. §. ult. l. 80. ff. de condit. & demonstr.* vel denique causa de præterito apposita sit per modum conditionis, veluti, si negotia mea ante annum curaverit. *d. §. 31. h. t.*

29. Potest testator legata dare vel ante vel post institutiones, vel inter medias heredum institutiones; & licet olim *post mortem heredis aut post mortem legatarii, aut pridie quam heres aut legatarius morietur*, legari non potuerit, tamen jure novo potest. §. 34. 35. *h. t.* quia ex jure novo actiones, quæ à defuncto & contra defunctum non erant inchoatæ, ab heredibus & contra heredes inchoari possunt. *tit. Cod. ut actiones ab hered. & contra heredes incip.*

30. Olim quoque inutilia erant legata pœnæ causâ relicta. Pœnæ autem causâ relinqui dicebatur, quod relinquebatur heredis coërcendi gratiâ, ut, vel ne quid faciat, &, si contra fecerit, legatum præstet; veluti, *heres meus, si filiam Sejo in matrimonium collocaverit, Titio decem dato.* Sed jure novo talia legata valent, tanquam conditionalia, nisi probrosum quid aut turpe heredi impositum sit, puta *heres, si non nudus in foro saltet, decem Cajo dato:* tunc enim iniquum esset, heredem, quia a probro abstinet, ad decem Cajo danda obligari. §. *ult. h. t.*

TIT. XXI.

De ademtione & translatione legatorum.

1. Ademtio legatornm testatori permissa est, cum ambulatoria sit hominis voluntas usque ad supremum vitæ exitum. *l. 4. ff. de adim vel transfer. legat.* ac vel expressa est, vel tacita.

2. Expressa est, quæ verbis expressis testamento vel codicillis fit; ut quod Titio legavi, non do non lego *pr. h. t.*

3. Tacita, quæ ex facto aliquo colligitur seu præsumitur, veluti, I. Alienatione voluntariâ rei legatæ; de quâ in *tit. praeced.* II. Inimicitiis capitalibus inter testatorem & legatarium: ut tamen interveniente reconciliatione legatum redintegretur. *l. 3. in fine. l. 4. ff. h. t.* licet per redemtionem rei legatæ & ex liberâ voluntate alienatæ legatum haud convalescat in dubio. *l. 15. ff. h. t.* III. Translatione legati, quæ vel de personâ honoratâ in personam honoratam fit; veluti, *quod Titio legavi, Sejo do lego.* §. *1. h. t. l. 6. ff. h. t.* vel de re in rem, puta, si pro domo prius legatâ fundus legetur. *l. 6. ff. h. t.* vel de casa in casum; dum id, quod

quod pure relictum erat, sub conditione legatur, aut vice versâ; quo casu in conditionis defectum ademtum censetur legatum. *l. 6. l. 10 ff. h. t.* Quod si legatum ab eo, qui dare jussus erat, transferant ad alium, ut ille det; hæc quidem legati translatio dici potest. *d. l. 6. ff. h. t.* sed non continet ademtionem.

4. Pluribus insuper modis aliis legata corruunt, veluti deficiente conditione legato appositâ; morte legatarii ante testatorem aut conditionis eventum; interitu rei; acquisitione rei legatæ ex causâ lucrativâ; rupto aut irrito facto testamento; quæ alibi jam tradita.

TIT. XXII.

De lege Falcidiâ.

1. Cum olim ex lege 12. tab. liberrima testatori competeret potestas totum suum patrimonium legatis exhauriendi, licentia illa primo quidem lege Furiâ & Voconiâ, ac tandem lege Falcidiâ coarctata fuit: quippe quâ lege Falcidiâ cautum, ne testator ultra dodrantem bonorum leget; & ut heres ultra gravatus quartam bonorum partem sibi salvam deducat, quæ quarta Falcidia appellatur. *pr. h. t.* Idque non tantum ipsorum testatorum gratiâ provisum, ne intestati morerentur, scripto herede ob exiguum aut nullum lucrum recusante adire hereditatem. *pr. h. t.* sed & heredum causâ, ne sine lucro hereditas iis obveniat. *l. 71. ff. h. t.* nec non legatariorum; quibus satius est legata diminuta accipere, quam nulla. *§. 2. in fine h. t.* ac denique propter publicam utilitatem; dum publice expedit, suprema hominum judicia exitum habere. *l. 5. ff. testam. quemadm. aper. inspic. & describ.*

2. Detrahitur hæc quarta ex legatis & fideicommissis sin-

singularibus tum testamento tum ab intestato relictis. *l.* 18. *ff. h. t.* uti & in mortis causâ donationibus, *l.* 5. *C. h t.* ac donationibus inter virum & uxorem, quando fideicommissi partibus funguntur. *l.* 12. *C. h. t.* non item in cæteris inter vivos donationibus.

3. Deducunt vero eam heredes gravati, & quidem ita, ut non sufficiat, uni ex pluribus quartam totius hereditatis, aut plus quam quartam, ex judicio testatoris salvam esse, sed in singulis heredibus Falcidiæ ratio ponenda sit respectu partis, ex quâ quisque heres est. § 1. *h. t. l.* 77. *ff. h. t.* Si tamen, cum duo instituti essent, & unius portio legatis exhausta, alterius intacta mansisset, alteruter deficiat, ac alter solus ex jure accrescendi heres existat, videndum, an portio gravata accreverit non gravatæ, an vero contra non gravata gravatæ: illo enim in casu is, qui ex suo capite gravatus non est, Falcidiam detrahit ex parte gravata, quæ accrevit; at hoc casu Falcidia cessat perinde ac si heres fuisset ab initio ex asse scriptus. *l.* 78 *ff h. t.*

4. Legatarii autem aut fideicommissarii, rursus fideicommisso gravati, Falcidiam non deducunt. *l.* 47. § 1. *ff. h. t.*

5. Quantitas patrimonii, ad quam ratio Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur; adeo ut, si quid postea accrescat vel decrescat, non legatariorum sed heredis lucro atque damno cedat. Neque tamen ea res heredi damnosa est; cum liberum ei sit, non adire hereditatem; quæ res efficit, ut necesse sit legatariis cum herede in portione pacisci, ne destituto testamento nihil consequantur. § 2. *h. t.*

6. Sed &, cum ratio legis Falcidiæ ponitur, primo deduci debet æs alienum defuncti, funeris impensæ, pretia servorum supplicio affectorum & manumissorum, ut deinceps ex eo, quod superest, pars quarta apud heredem remaneat. § *ult. h. t. l.* 39 *ff. h. t.*

7. Ces-

7. Cessat Falcidiæ detractio, si testator eam expresse prohibuerit, quod jure novo potest. *nov.* 1. *cap.* 2. § 2. *in fin.* si heres sciens aut juris ignorantiâ integra legata solverit. *l.* 9. *C. h. t.* si sine inventario adiverit hereditatem. *l. ult.* §. 14. *circa fin. C. de jure delib.* si testator heredi inter vivos quantitatem quartæ æquipollentem dederit. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* si heres id egerit, ut fideicommissum interciderit, *l.* 59. *ff. h. t.* ut & in legato ad pias causas. *nov.* 131. *cap.* 12. in rebus per heredem ex hereditate dolo subtractis. *l.* 24 *ff. h. t.* in rebus per testatorem alienari prohibitis. *auth. sed & in eâ re C. h. t.* in testamento militis, quod tempore militiæ condidit. *l.* 7. *C. h. t. l.* 40. *ff. h. t.* denique in dote prælegatâ, quatenus vere data fuit. l. 57. *ff. h. t.*

TIT. XXIII.

De fideicommissariis hereditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum.

1. Fideicommissum est, quod verbis obliquis seu precariis ultimâ voluntate relinquitur.

2. Ac vel universale est, vel singulare.

3. Universale est, quo heres vel totam hereditatem, vel partem hereditatis, qua talis, rogatur alteri restituere. Sic ut in fideicommisso tres personæ requirantur; puta, ipse fideicommittens, heres fiduciarius, cujus fidei committitur; & fideicommissarius, cui hereditas ex fideicommisso restituitur.

4. Relinquitur autem fideicommissaria hereditas, vel pure, vel sub conditione, vel ex certo die. §. 2. *in fine h. t.* in quo postremo differt ab hereditate directâ, quæ ex die certo dari nequit. §. 9. *Inst. de hered. instit.*

5. Atque insuper, vel ex testamento datur, vel ab inte-

testato. §. 2. & 10. *h. t.* cum enim intestatus moriens paterfamilias, testamenti factionem habens, credatur sponte suâ legitimis heredibus relinquere hereditatem, dum non ademit; recte eos gravare potuit. *l.* 8. §. 1. *ff. de jure codicill.*

6. Si sine testamento relinquatur, quinque ad minimum testes necessarii sunt, ut in omni aliâ ultimâ voluntate; nisi moriens vivâ voce heredem præsentem rogaverit, ut hereditatem vel rem aliquam alteri restituat; tunc enim sine ullis testibus fideicommissum ratum est; sic ut is, qui ita gravatus dicitur, vel jurare cogatur, nihil suæ fidei commissum esse, vel solvere id, quod alter præstito prius jurejurando calumniæ, sibi relictum ait. §. *ult. h. t.*

7. Primis vero temporibus infirma fuerunt fideicommissa, quia nullo vinculo juris is qui rogabatur, adeoque non invitus, sed solo vinculo pudoris ad restitutionem obstrictus erat, præsertim quia illis solebant relinqui fideicommissa, quibus non poterat hereditas aut legatum testamento dari. §. 1. *h. t.*

8. Postea D. Augustus & gratiâ personarum motus, & ob insignem quorundam perfidiam, jussit Consulibus autoritatem interponere: quod quia justum & populare erat, paulatim conversum est in assiduam jurisdictionem; tantusque eorum favor factus est, ut paulatim etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret. *d.* §. 1. *h. t.* eo magis, quod jure posteriori solis capacibus fideicommissa dari potuerunt. *l.* 67. §. *ult. ff. ad Senatusc. Trebell.* adeo ut palam incapacibus relicta pro non scriptis haberentur, clam data ut indignis auferrentur. *l.* 10. §. 1. *ff. de his quib. ut indign.* junct. *l.* 3. *ff. de his quæ pro non scriptis.*

9. Sed & circa fideicommissa duo Senatusconsulta fuerunt condita, Trebellianum nempe, & Pegasianum.

10. Trebelliano (quod conditum Neronis temporibus

bus, Trebellio Maximo & Lucio Annæo Senecâ Consulibus) cautum fuit, ut, si hereditas ex fideicommisso restituatur, omnes actiones, quæ heredi & in heredem competebant, fideicommissario & in fideicommissarium darentur; sic ut is ex illo Senatusconsulto cœperit heredis loco esse. §. 4. *h. t.*

18. Pegasiano (quod Vespasiani temporibus conditum, Pegaso & Pusione Consulibus) cautum, ut fiduciario restituere rogato liceat quartam ex hereditate, quam restituit, retinere, perinde ac ex legatis ex lege Falcidiâ. §. 5. *h. t.* & ut fiduciarius invitus cogi possit hereditatem adire & restituere. §. 7. *h. t.* Nec ex hoc Senatusconsulto onera hereditaria ipso jure transibant in fideicommissarium, sed is habebatur loco legatarii partiarii; id est, ejus, cui pars bonorum, veluti quarta, sexta, legata erat: ac ob id inter eum & fiduciarium interponebatur stipulatio partis & pro parte; id est, ut lucrum & damnum pro ratâ parte inter eos commune esset. §. 5. *h. t.*

12. Sed jure novo Pegasianum transfusum fuit in Trebellianum; adeoque quasi ex Trebelliano quartæ deductio nec non coactio ad adeundum fit, & per restitutionem actiones hereditariæ ipso jure pro ratâ portione tam in heredem fiduciarium, quam in fideicommissarium competunt. §. 7. *h. t.* sive moriens simpliciter rogaverit restitui hereditatem, & sic ex Senatusconsulto quarta deducatur; sive partem tantum, aut retentâ quartâ parte reliquam hereditatem, restitui jusserit. §. 9. *h. t.* Secus, si certâ re certisve rebus deductis reliqua restituere fiduciarius rogetur: tunc enim solus fideicommissarius onera sustinet, ac fiduciarius respectu rerum præcipiendarum legatarii loco est; etiamsi in rebus præcipiendis maxima sit hereditatis pars: cum fideicommissarius deliberare debeat, an velit restitutionem admittere, nec ne, dum eam sibi ob onus nimium damnosam credit. *d.* §. 9. *h. t.*

13. In quartam autem Trebellianicam imputantur fiduciario ea omnia, quæ habet ex judicio testatoris. *l. 22. §. 2. ff ad Senatusc. Treb.* etiam fructus ex rebus hereditariis percepti, quoties vel ex voluntate testatoris, vel ante aditam hereditatem, vel ex morâ fiduciarii restituere rogati, percepti sunt; non item si ex morâ fideicommissarii. *l. 18. pr. & §. 1. l. 22. §. 2. l. 27. §. 1. in fine ff. ad Senatusc. Trebell.* Quod si fructus quartam excedant, cum ipsis tamen rebus hereditariis non sunt restituendi, nisi id testator expresserit; vel fructus ex morâ fiduciarii, aut ante aditam hereditatem percepti sint. *d. ll.*

14. Cessat tamen quartæ detractio fere iisdem in casibus, quibus & Falcidiæ detractionem cessare, supra *in tit. de lege Falcid.* dictum est; uti & si fiduciarius quartam jam habeat ex judicio testatoris. *§. 9. h. t.* aut coactus adiverit hereditatem; tunc enim sine ullo lucro & damno adit, periculo fideicommissarii coactionem postulantis. *d. §. 7. h. t.* aut, si fidei commissarius rursus alteri hereditatem restituere rogatus sit (quod ex voluntate testatoris in infinitum fieri potest. *§. 11. h. t.*) cum nunquam fideicommissarius quartam deducat. *l. 47. §. 1. ff. ad leg. Falcid.*

15. Ex adverso fiduciarius quandoque usque ad dodrantem ex hereditate restituendâ potest consumere, ac de solâ quartâ restituendâ cavet; si scilicet rogatus sit restituere, quod tempore mortis suæ superit ex hereditate: ut tamen & ipsam quartam possit diminuere in dotem, aut propter nuptias donationem, aut captivorum redemtionem, aut alimenta sua. *auth. contra C. ad Senatusc. Trebell. nov. 108.* & vice versâ absumtum non intelligatur, quod mansit in corpore patrimonii, dum permutatum cum aliâ re aut venditum pretio, adhuc extante. *l. 70. §. ult. & ll. seqq. ff. de legat. 2.*

TIT.

TIT. XXIV.

De singulis rebus per fideicommissum relictis.

1. Fideicommissum singulare est, quo heres vel legatarius vel fideicommissarius rogatur res singulares alteri restituere vel præstare: in quo illud observandum, ne quis fideicommisso gravetur ultra, quam est honoratus; nam, quod amplius est, inutiliter relinquitur. §. 1. *h. t.* nisi rogatus sit, acceptâ certâ re vel quantitate, rem suam propriam pluris valentem alteri restituere, & relicta sibi acceptaverit. *l.* 70. §. 1. *in fine ff. de legat.* 2. vel præter rem sibi legatam amplius certam quantitatem post tempus rogetur restituere, ac medio tempore eam ex fructibus redegerit. *d. l.* 70. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 114. §. 3. *ff. de legat.* 1. vel cum duæ res alternative ei legatæ essent, & rogatus esset meliorem restituere, deteriorem elegerit. *l.* 94. §. 2. *ff. de leg.* 1.

2. De cætero idem fere in fideicommissis singularibus receptum est, quod in legatis, ratione rerum, quæ relinquuntur; personarum, quibus relinquitur; ac modorum & qualitatum, quæ relictis adjiciuntur. §. 1. 2. *h. t.*

3. Verba autem fideicommissaria sunt, *peto, rogo volo, mando, fidei tuæ committo*, aliaque his similia.

TIT. XXV.

De Codicillis.

1. Codicilli (qui suum initium habent a temporibus Augusti. *pr. h. t.*) sunt testati vel intestati voluntas minus solennis. Ac potest unusquisque vel unum vel plures facere, sic ut omnes subsistant, quatenus

 sibi

ſibi contrarii non ſunt. §. *ult. h. t.* Et ſi quidem ex teſtamento relinquantur, ex teſtamento dependent, ac jus ejus ſequuntur. *l.* 16. *ff. h. t.* ſive ante ſive poſt factum teſtamentum conditi ſint. §. 1. *h. t.* Sin ab inteſtato, per ſe ſubſiſtunt, ac vicem teſtamenti exhibent. *d. l.* 16.

2. Codicillos is demum facere poteſt, qui & teſtamenti faciendi jus habet. *l.* 6. §. 3. *ff. h. t.* licet eo tempore teſtamenti faciendi occaſione deſtituatur, dum forte ſolennis ſeptem teſtium idoneorum numerus deeſt. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* & de eo accipienda verba. *in fine principii h. t.* Etenim non tanta ſolennitas ordinationis in codicillis, atque quidem in teſtamentis, deſideratur. §. *ult. h. t.* cum in codicillis quinque teſtes ſufficiant. *l. ult.* § *ult. C. de codicillis.* iique vel maſculi, vel fœminæ, cum nuſpiam prohibeantur; ſive ſpecialiter rogati, ſive fortuito præſentes; ac ſubſcribentes (non item ſignantes) ſi in ſcriptis codicilli fiant. *d. l. ult.* §. *ult. C. h. t.*

3. Codicillis autem hereditas directo neque dari neque adimi poteſt, nec exheredatio fieri, nec conditio heredi ſcripto apponi, ne confundatur jus teſtamenti & codicilli. Per fideicommiſſum tamen codicillis hereditas recte relinquitur. §. 2. *h. t.* nomen quoque heredis in teſtamento inſtituti in codicillis exprimi poteſt, & partes heredi inſtituto aſſignari. *l.* 36. *l.* 77. *ff. de hered. inſtit.*

4. Quod ſi teſtamentum aliquo laboret defectu ſolennitatum, non valebit tanquam codicillus; licet codicilli ſolennia adſint; niſi hoc teſtator expreſſerit. *l.* 1. *ff. h. t.* Exprimit autem appoſitâ clauſulâ codicillari. quæ hâc aut ſimili formulâ concipitur; ſi non valeat hæc mea voluntas ut teſtamentum, valeat ut codicillus, vel ut mortis causâ donatio, vel alio quocunque meliore modo. vide *l.* 29. §. 1. *ff. qui teſt. fac. poſſ. l. pen.* §. *ult. ff. de legat.* 2. *l.* 3. *ff. de teſt. milit.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

TIT. I.

De hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur; & tituli ſequentes uſque ad Tit. 14.

1. Cum maximâ ex parte jus ſucceſſionis ab inteſtato, quod tredecim prioribus titulis hujus libri continetur, per jus novellarum, ſimpliciorem ſuccedendi rationem proponens, immutatum ſit, ſummatim tantum illud enarrandum videtur, eique deinceps noviſſimus ſucceſſionis inteſtatæ ordo ſubnectendus.

2. Olim ex lege 12. tabularum ſoli agnati ad ſucceſſionem vocabantur, cognatis excluſis, ſic ut nec filius emancipatus patri, nec pater filio emancipato ſuccederet, nec mater liberis, nec liberi matri. Sed hiſce juris civilis antiqui defectibus partim per Senatuſconſulta, partim per Principum conſtitutiones, partim per edicta prætorum, medela adhibita fuit. Etenim ex Claudii conſtitutione matres ad legitimam liberorum ſuorum hereditatem vocatæ §. 1. *Inſt. de Senatuſc. Tertull.* Poſtea Senatuſconſulto Tertulliano & junctis conſtitutionibus cautum, ut mater ingenua gaudens jure trium liberorum & libertina quatuor liberorum jure gaudens, deficientibus liberis & fratribus & patre defuncti, in beſſem liberis ſuccederet, agnati reliqui in trientem: ſin illo liberorum jure non gauderet, agnati beſſem, illa trientem caperet ex liberorum hereditate. §. 2. 3. 4. 5. *Inſt. de Senat. Tertull.*

3. Vice verſâ Senatuſconſulto Orficiano & conſtitutionibus diſpoſitum, ut liberi ſive primi, ſive ulterioris gradus, ſuccederent matri & aviæ, excluſis cæ-

 teris

teris matris aut aviæ agnatis, licet liberi alieno juri subjecti essent. *pr. &* §. 1. *Inst. de Senatusc. Orphit.*

4. Præcipue prætor suam induxit, ac multifariam dedit, bonorum possessionem illis, quos jus civile non vocabat, aut præteriri permittebat, aut voluntate testatoris eversâ repellebat.

5. Est autem bonorum possessio nihil aliud quam hereditas prætoria, adeoque jus persequendi vel retinendi patrimonii sive rei, quæ cujusque, cum moreretur, fuit. *l.* 3. §. 2. *ff. de bon. possess.*

6. Ac primo dividitur in edictalem & decretalem.

7. Edictalis est, quæ de plano sine causæ cognitione ex ipso edicto conceditur ac agnoscitur.

8. Decretalis, quæ præviâ accuratiore causæ cognitione datur; veluti ex Carboniano edicto impuberibus, status controversiam patientibus, an liberi sint. *tot. tit. ff. de Carbon. edicto.*

9. Secundo vel ex testamento defertur bonorum possessio, vel ab intestato.

10. Ex testamento iterum duplex est, puta, vel contra tabulas, quæ liberis emancipatis paterno testamento præteritis, & aliis quibusdam personis datur: vel secundum tabulas, quæ datur heredibus scriptis testamento tali, quod per agnationem quasi posthumi vel capitis diminutionem minimam testatoris infirmatum erat, si deinde posthumus ante testatorem moriatur, vel testator rursus sui juris factus decedat. *l.* 12. *ff. de injust. rupt. irrit.* §. 9. *Inst. quib. mod. test. infirm.* de quibus alibi actum.

11. Ab intestato bonorum possessio quadruplex ex jure Institutionum fuit; scilicet bonorum possessio, unde liberi, unde legitimi, unde cognati, & unde vir & uxor; id est, ex eâ parte edicti, unde liberi, aut unde legitimi seu agnati, aut unde cognati &c. vocantur. Quibus ex jure veteri quatuor aliæ antea adjectæ erant, sed postea sublatæ; puta, unde decem per-

sonæ,

sonæ; tanquam ex familiâ, unde patroni, & unde cognati extranei manumissoris. §. 4. *Instit. de bonor. possess.*

12. Fuit & delata successio patrono in bona libertorum: quæ aliter ex lege 12. tabularum, aliter ex edicto prætoris, aliter ex lege Papiâ, competebat, ut patet *ex pr. & §§. seqq. Instit. de success. libert.* aliter denique jure novo Justiniani; secundum quod, si libertus centenario minor sit, id est, minus quam centum aureos in bonis habeat, patronus testamento quidem liberti excluditur, sed eo intestato moriente, succedit, ubi libertus liberos non habet: sin centenario major sit, scriptis testamento heredibus patronus avocat tertiam hereditatis partem; ab intestato vero in solidum succedit, si nulli extent liberi defuncti liberti. §. *pen. & ult. Inst. eod. tit.*

13. Hoc autem jus succedendi libertis ex jure patronatus ad heredes liberos patroni transibat æqualiter; nisi pater uni ex liberis in potestate retentis libertum assignasset; cui tunc soli jus patronatus competebat respectu successionis in bona liberti. *pr. & tot. tit. Instit. de assignatione libert.*

14. Fuit & acquisitio per adrogationem, dum filius adrogatus cum bonis omnibus transibat in potestatem adrogantis. *tit. Inst. de acquis. per arrogationem.*

15. Fuit & addictio bonorum libertatum conservandarum gratiâ; dum illi, quibus libertas ultimâ domini voluntate data erat, cujus tamen hereditas non adibatur, desiderabant, sibi bona defuncti addici, ut libertates ratæ essent; si modo idonee creditoribus caverent de solido, quod cuique debetur, solvendo. §. 1. *& tot. tit. Instit. de eo cui libertatis causâ bona addic.*

16. Fuit insuper olim bonorum emtio; jure medio sublata, cum bona ejus, qui solvendo non erat, per magistratum alteri petenti & creditoribus satis-

facturo addicebantur. *pr. Inst. de success. sublatis quæ fiebant per bonor. venditiones.*

17. Fuit denique acquisitio per universitatem ex Senatusconsulto Claudiano; quâ mulier libera sese jungens alieno servo, nec post trinam denunciationem, per dominum factam, ab eo abstinens, in servitutem dabatur domino servi, cui se junxerat, cum universo patrimonio. §. 1. *d. tit.* sed hæc sublata. *d. l.*

18. Jus novum quod attinet, sublata est omnis differentia inter masculos & fœminas, inter suos & emancipatos, inter agnatos & cognatos, ratione successionis intestatæ. *nov.* 118. *cap.* 4.

19. Succeditur autem vel in stirpes, vel in capita, vel in lineas.

20. Successio in stirpes est, quæ fit jure repræsentationis.

21. Jus repræsentationis est juris fictio, quâ gradu remotiores subintrant in locum proximioris defuncti; adeoque simul quotquot fuerint, tantam capiunt ex hereditate portionem; quantam pater habiturus fuisset, si vixisset. *nov.* 118. *cap.* 1. *&* 3. *in pr.* Ac locum habet in lineâ descendente in infinitum, quippe in quâ *gradum non quærimus*, ut Imperator ait *nov.* 118. *cap.* 1. in collateralli tantum uno in casu, quando fratrum liberi cum suis thiis seu patruis concurrunt ad successionem patrui defuncti. *nov.* 118. *cap.* 3. in linea ascendente nunquam.

22. Successio in capita dicitur, quâ secundum personarum succedentium numerum hereditas viritim tribuitur illis, qui ejusdem gradus sunt, exclusis gradu remotioribus. *d nov.* 118. *cap.* 3. §. 1. *in fine.* Quæ locum habet in liberis primi gradus, parenti succedentibus; & parentibus primi gradus, qui liberis suis succedunt; ac regulariter in lineâ collaterali.

23. Successio in lineas est, quâ hereditatis pars una di-

dimidia lineæ paternæ, altera lineæ maternæ per leges datur Quæ locum habet in ascendentibus secundi vel ulterioris gradus, ut in seqq. patebit.

24 Defertur autem successio primo loco descendentibus; secundo ascendentibus; tertio collateralibus. *nov.* 118. *cap.* 1. 2. 3. quarto viro & uxori; quinto fisco, qui tunc succedit in bona defuncti tanquam vacantia; nisi defunctus fuerit membrum collegii alicujus liciti & privilegiati, vel socius liberalitatis imperialis. Etenim collegium in omnibus defuncti bonis fisco præfertur, veluti collegium decuririonum in hereditate decurionis; in hereditate militis legio, vexillatio, aut turma, in quâ militavit. *tit. C. de hereditat. decur. &c.* socius vero liberalitatis imperialis in iis solis, quæ a Principe communiter utrique donata, fisco potior est. *tit. C. si liberal. imp. socius sine hered. decess.*

25. Regulariter quamdiu locus est lineæ descendenti, ascendens non admittitur, ac quamdiu locus est lineæ ascendenti, collateralis excluditur

26. In lineâ descendente liberi sunt, qui si legitimi & naturales sint, patri ac matri succedunt; in capita quidem si primi gradus sint, in stirpes vero, si gradus remotioris. *nov.* 118. *cap.* 1. Si naturales tantum sint, matri quidem succedunt, unà cum aliis liberis legitime natis, sicut & spurii, nisi spuriorum mater illustris sit. *l.* 5. *C. ad Senatusc. Orfician.* sed patri suo naturales non succedunt ab intestato, nisi is legitimâ prole careat, quo casu naturales ei succedunt in sextantem hereditatis cum matre dividendum. *novell.* 89. *cap.* 12. §. 4. si modo non nisi unam eodem tempore concubinam aluerit, ex quâ naturales nati sunt. *d. nov.* 89. *cap.* 12. §. 5. Legitimati, si quidem per subsequens matrimonium, patri una cum liberis legitime natis succedunt, quia omnia *suorum* jura tali legitimatione consequuntur. §. 2. *Inst. de hered. quæ ab intest.* sin per rescriptum

Principis, non aliter una cum legitime natis vocantur, quam si hi demum post legitimationem nati sint: antea enim nati, & adhuc superstites, legitimatos tales excludunt. arg. *auth. praterea & auth. item. & auth. si quis C. de liberis natural.* junct. *l. 4. C. de emancip. liber.*

27. Quod si lineæ ascendenti deferatur successio, generaliter proximior excludit remotiorem, pater aut mater superstes avum; & si plures ascendentes secundi vel ulterioris gradus in pari gradu sint, in duas partes dividenda hereditas est, sic ut pars una cedat ascendentibus lineæ paternæ, altera lineæ maternæ, licet dispar sit numerus eorum: adeoque existente avo & aviâ paternâ ac avo materno, maternus avus solus tantum capiat, quantum avus & avia paterna simul. *auth. defuncto C. ad Senatusc. Tertull.* Cæterum cum proxime ascendentibus simul admittuntur fratres germani (non consanguinei vel uterini) & aliorum prædefunctorum germanorum liberi, sic ut parentes & fratres in capita, fratrum vero liberi cum his concurrentes in stirpes succedant. *nov. 118. cap. 2.* junct. *nov. 127. cap. 1.*

28. In lineâ collaterali primo loco vocantur fratres germani eorumque liberi, exclusis fratribus consanguineis & uterinis. Et liberi quidem fratrum germanorum soli existentes in capita succedunt; in stirpes vero jure repræsentationis, si cum suis thiis seu patruis concurrant, Deficientibus germanis eorumque liberis, veniunt simul ac promiscue fratres consanguinei & uterini eorumque liberi, eodem modo in stirpes aut capita, quo germani eorumque liberi admittuntur. Post hos vocantur omnes a latere cognati ac agnati, sublatâ inter agnatos ac cognatos differentiâ; ita ut proximior excludat remotiorem, & pares gradu in capita pariter succedant, sine distinctione, an per utrumque parentem, an tantum per unum, contingant defunctum: qua ratione patruo

truo magno fratrum germanorum & consanguineorum aut uterinorum nepotes viritim seu in capita simul succedunt. *nov.* 118. *cap.* 3. *per tot.*

29. Licet autem plerumque demum deficiente lineâ descendente, ascendente, ac collaterali, vir uxori & uxor viro succedat (modo verum intercesserit matrimonium, & morte, non divortio, dissolutum sit. *l. unic.* §. 1. *ff. unde vir & uxor*) tamen ex jure novo, si uxor inops & indotata sit, una cum liberis marito succedit in partem quartam usufructus, si pauciores sint liberi quam quatuor, in virilem, si quatuor aut plures, proprietate liberis reservatâ: sed liberis deficientibus, in quartam proprietatis simul & ususfructus succedit. *nov.* 117. *cap.* 5. Quod tamen jus viro inopi denegatum in. *d. cap.* 5.

TIT. XIV.

De obligationibus.

1. Obligatio in genere est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ.

2. Et vel naturalis est, vel naturalis & civilis simul seu mixta: nam quod attinet mere civilem, quæ scilicet summo jure civili actionem parit, sed exceptione elidendam; illa obligationis effectu destituitur. *l.* 3. *ff. de constit. pecunia.*

3. Naturalis est, quæ solo nititur æquitatis naturalis vinculo, exceptionem & retentionem, non actionem jure civili efficacem producens. *l.* 95. §. 4. *ff. de solution.*

4. Habet tamen varios in jure civili effectus: quod enim ita debetur, novari potest: *l.* 1. *in fine ff. de novat.* in constitutum deduci. *l.* 1. §. 7. *ff. de constit. pecun.* compensari. *l.* 6. *ff. de compensat.* pignora admittere. *l.* 5. *ff. de pign. & hypoth.* ut & fidejussores, §. 1. *Inst. de fidejussor.* denique, si solutum sit, con-

dictione indebiti repeti non potest, ut supra dictum, *l. 13. l. 64. ff. de condict. indeb.* Et hæc ita, nisi naturalis obligatio pro parte vel in totum a jure civili reprobata sit; qualis est obligatio naturalis prodigi. *l. 6. ff. de verb. oblig.* mulieris contra Senatusconsultum Vellejanum pro alio intercedentis. *l. 40. ff. de condict. indeb. l. 16. §. 1. ad Senatusc. Vell.* filiifamilias mutuum accipientis contra Senatusconsultum Macedonianum. *l. 9. §. 3. ff. ad Senatusc. Maced.* pupilli sine tutoris autoritate promittentis & solventis. *l. 41. ff. de condict. indeb.*

5. Obligatio naturalis & civilis simul, est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura. *pr. h. t.* adeoque efficacem jure civili parit actionem.

6. Late autem sumitur in definitione vocabulum tum *rei* tum *solutionis*; sic ut res ad omnes extendatur obligationes. *l. 6. ff. de verb. signif.* ac proinde etiam facta, & abstinentiam a facto comprehendat: & solutio denotet omnem dationem, præstationem, restitutionem, factum, ac generaliter omne implementum obligationis. *l. 176. ff. de verb. signif.*

7. Dividitur obligatio naturalis & civilis simul, I. In civilem in specie & prætoriam.

8. Civilis in specie est, quæ ex legibus aut alio jure civili descendit.

9. Prætoria, quam prætor ex suâ jurisdictione introduxit. §. 1. *h. t.*

10. Sed & II. Vel ex contractu nascitur, vel quasi ex contractu, vel ex maleficio, vel quasi ex maleficio. §. 2. *h. t.* vel proprio quodam jure ex aliis similibus figuris. *l. 1. pr. ff. de oblig. & act.* veluti, ex pactis legitimis aut prætoriis.

11. Genus commune pactorum ac contractuum est conventio: quæ est duorum pluriumve in idem placitum consensus, de re dandâ, faciendâ, vel præstandâ. *l. 1. §. 2. ff. de pactis.*

12. Pa-

12. Pactum est conventio de re dandâ, faciendâ, vel præstandâ, cui non subest causa obligandi ex jure civili, ex se & suâ naturâ.

13. Et vel nudum est, vel non nudum seu legitimum aut vestitum, ut appellant.

14. Pactum nudum est, quod in nudis & simplicibus conventionis terminis consistit, solam naturalem pariens obligationem, & soluti retentionem, non actionem, si obligatorium sit: exceptionem vero, si liberatorium. *l.* 7. *pr.* & §. 4. *ff. de pactis.* §. 3. *Inst. de exception.*

15. Non nudum seu legitimum pactum est, cui ultra simplices fines conventionis vis aliqua civiliter & efficaciter obligandi & actionem producendi extrinsecus accedit, quoties obligatorium est. *l.* 6. *ff. de pactis.*

16. Vis autem illa civiliter obligandi pactis accedit vel ex jure prætorio, ut in constituto. *l.* 1. *ff de constit. pecun.* junct. § 8. & 9 *Inst. de act.* & hypothecâ. *l.* 17. §. 2. *ff. de pactis.* vel ex jure civili, ut in pacto donationis. *l.* 35. *C. de donat.* dotis *l.* 6. *C. de dotis promiss.* usurarum civitati ex mutuo præstandarum. *l.* 30. *ff. de usuris.* vel denique a contractu bonæ fidei, cui si pactum in continenti adiiciatur, actionem parit. *l.* 13. *C. de pactis. l.* 7 § 5. *ff. de pactis.* (secus in contractibus stricti juris.) *l.* 11. §. 1. *ff. de reb. creditis.*

17. Liberatorii pacti legitimi vis est, quod non ope exceptionis, sed ipso jure, actionem tollat. *d. l.* 6. *de pactis.* Atque ita injuriarum & furti actio pacto ipso jure tollitur. *l.* 17. §. 1. *ff. de pactis.*

18 Contractus est conventio de re dandâ, faciendâ, vel præstandâ, cui subest civiliter obligandi causa ex se & suâ naturâ. *l.* 7. §. 1. 2. *ff de pactis.*

19. Dividuntur vero contractus I. Quod alii sint ex utroque latere obligatorii, ut emtio, locatio, societas &c. alii tantum ex uno latere, ut mutuum, stipula-

latio, & omnes contractus innominati. Ac regulariter contractus utrimque obligatorii sunt bonæ fidei; ex uno latere obligatorii plerumque stricti juris.

20. II. Vel innominati sunt, vel nominati.

21. Innominati dicuntur, qui quidem obligandi causam habent, puta, dationem aut factum, sed quibus speciale nomen a jure civili non est impositum. Quales enumerantur quatuor, do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias. Ex quibus actio præscriptis verbis nascitur. *l.* 7. §. 2. *ff. de pactis. l.* 5. *ff. de præscript. verbis.* Ac singulare est in contractibus innominatis a datione incipientibus, quod pœnitentiam admittant, & ab iis alter altero invito recedere possit, remque datam condictione repetere. *l.* 3. §. 3 *ff. de condict. caus. dat. caus. non secutâ.* Secus in iis, quæ a facto initium habent, quia factum infectum fieri nequit.

22. Nominati sunt, quibus certum ac speciale nomen a jure civili est impositum, nec consistunt in nomine generis; ut emtio, commodatum, pignus &c. *l.* 7. §. 1. *ff. de pactis.*

23. Nominati rursus vel re constant, vel verbis, vel literis, vel consensu. §. *ult. h. t.*

24. In omnibus autem contractibus regulariter viget regula, quod, quoties solius dantis vertitur utilitas, præstandus sit ab accipiente dolus tantum & lata culpa: quoties dantis & accipientis simul utilitas apparet, præstandus sit dolus & lata ac levis culpa: denique, quoties solius accipientis commodum vertitur, dolus & omnis culpa, etiam levissima, præstanda sit. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati.* Casus fortuitus nunquam præstatur, nisi id pacto actum sit, vel nisi casum præcesserit culpa, casui causam dans. *l.* 23. *in fine ff. de reg. jur. l.* 5 §. 4. *&* 7. *ff. commodati.* §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig.*

TIT.

TIT. XV.

Quibus modis re contrahitur obligatio.

1. Contractus re constantes appellantur, ad quorum perfectionem præter consensum est necessaria rei traditio. Et quatuor enumerantur, puta mutuum, commodatum, depositum, & pignus.

2. Mutuum (ita dictum, quasi de meo tuum) est contractus stricti juris re constans, quo res fungibilis alteri datur eâ lege, ut res eadem in genere, seu ejusdem quantitatis & qualitatis restituatur. *pr. h. t. l.* 1. §. 2. *ff. de reb. credit.*

3. Traditio in mutuo non præcise vera requiritur, sed & ficta sufficit; cujus exempla sunt in *l.* 9. §. *ult. l.* 11. *pr. l.* 15. *ff. de reb. credit.*

4. Mutuo dare possunt omnes illi, qui domini sunt & liberam habent rerum suarum administrationem ac alienandi facultatem; eo quod in mutuo fit alienatio, & quod mutuo datur, accipientis fieri debet. *pr. h. t.* Si quis nummos alienos dederit suo nomine sine domini voluntate, vel pupillus, furiosus, prodigus sine consensu tutoris aut curatoris: nummi non fiunt accipientis; sed si bonâ fide consumti sint, danti competit condictio nummorum, mutuo quasi convalescente per consumtionem. *l.* 12. *l.* 13. *pr. &* §. 1. *ff. de reb. cred.* Verus interim nummorum dominus, ut & ipse pupillus, qui mutuum dederat sine tutoris autoritate, nummos extantes vindicare potest, de consumtis malâ fide ad exhibendum agere. §. *ult. Inst. quib. alien. licet vel non. l.* 11. §. 2. *l.* 19. §. 1. *ff. de reb. cred.* vel etiam consumtos condicere, cessâ sibi per eum, qui nummos alienos dederat, condictione. *l.* 2. *C. si certum pet.*

5. Accipere mutuum possunt omnes, qui & obligari; etiam universitates ac civitates per suos administra-

ſtratores, ſi modo pecunia in rem civitatis verſa ſit. *l. 27. ff. de reb. cred.*

6. Ex mutuo actio naſcitur, quæ appellatur certi condictio ex mutuo; & eſt actio perſonalis ſtricti juris, competens creditori, qui mutuum dedit, & ejus heredi, contra mutuatarium, & ejus heredem, ad id, ut res eadem in genere, ſeu ejuſdem quantitatis & qualitatis reſtituatur. *pr. h. t. l. 1. §. 2. l. 2. pr. & §. 1. ff. de reb. cred.*

7. Certum autem dicitur in jure peti, cum apparet, quid, quale, quantumque ſit, quod petitur. Incertum vero, de quo id non conſtat. *l. 6. ff. de reb. cred.*

8. Indebiti ſolutio non verus, ſed quaſi contractus eſt, quia indebitum ſolvens animum magis diſtrahendi, ſeu obligationem diſſolvendi, quam contrahendi habet. *§ 1. h. t. §. pen. Inſt. de obl. qua quaſi ex contr. naſc.* Nec tantum in fungibilibus rebus, ſed & in aliis ſive mobilibus, ſive immobilibus, ſive corporalibus, ſive incorporalibus, ipſisque etiam cautionibus indebite præſtitis locum invenit. *l. 26. §. 6. 7. ff. de condict. indeb. l. 1. pr. ff. ut in poſſeſſ. legat. cauſ. eſſe liceat.*

9. Indebitum duplex eſt, puta, vel naturaliter & civiliter ſimul, adeoque nullo jure debitum; vel indebitum civiliter, naturaliter vero debitum, quale eſt, quod ex nudo pacto debetur. Eſt & indebitum, quod ſummo quidem jure civili debitum eſt, ſed perpetuâ exceptione elidi poteſt. *l. 26. § 7. l. 40. ff. de condict. indeb.*

10. Ex indebiti ſolutione naſcitur condictio indebiti; quæ eſt actio perſonalis, ſtricti juris, ex quaſi contractu, competens ei, qui indebitum ſolvit, & heredi ejus, adverſus eum, qui indebitum accepit, & heredem, ad id, ut reſtituatur indebite ſolutum, una cum acceſſionibus. *§. 1. h. t. l. 15. ff. de condict. indeb.* non item cum uſuris. *l. 1. C. eod. tit.* quia in ſtricti ju-

juris judiciis usuræ ex morâ non debentur, sed tantum in iis, quæ bonæ fidei sunt. *l.* 31. §. 2. *ff. de usuris.* junct. *l.* 3. *C. eod. tit.*

11. Ut autem condictioni huic locus sit, requiritur I. Ut naturaliter & civiliter indebitum sit: nam si naturaliter sit debitum, sed civiliter indebitum, cessat condictio. *l.* 13. *l.* 64. *ff. de condict. indeb.* Quod si debitum tale sit, quod perpetuâ exceptione elidi potest, videndum, an exceptio in favorem excipientis introducta sit, an magis in alterius odium. Si in favorem excipientis, solutum adhuc repeti potest; veluti, quando mulier ex suâ solvit intercessione, cum Vellejani Senatusconsulti exceptione tuta esset. Sin in odium tertii, condictio soluti locum non habet, puta, si filiusfamilias mutuum acceptum restituerit creditori, cum Macedoniani exceptione sese potuisset tueri. *l.* 40. *ff. de condict. indeb.* II. Necesse est, ut ignorans ignoranti solverit indebitum: nam si sciens scienti vel sciens ignoranti solverit, cessat repetitio, quia videtur donasse. *l.* 53. *ff. de reg. jur. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* ut tamen dubitans an debeat, & ita solvens, repetitionem habere possit. *l. ult. C. de condict. indeb.* si ignorans scienti indebitum solverit, condictio furtiva datur. *l.* 18. *ff. de condict. furt.* III. Per ignorantiam facti indebitum debet solutum esse: per ignorantiam enim juris si solutum sit, cessat repetitio. *l.* 10. *C. de juris & facti ignor.* IV. Solutum debet esse indebitum ex illis caussis, in quibus ex inficiatione lis in duplum non crescit; ac proinde, si indebitum solutum sit ex causâ depositi miserabilis, aut legati venerabilibus locis relicti, aut damni per legem Aquiliam coërcendi, in quibus lis ex inficiatione in duplum crescit, cessat repetitio. §. *ult. Inst. de oblig. quæ quasi ex contract. nasc.* quia solvens intelligitur simplum dando transegisse super duplo; cessat autem condictio indebiti, si transactionis nomine datum sit. *l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb.*

12. Com-

12. Commodatum est contractus bonæ fidei, re constans, quo res non fungibilis alteri gratis ad certum tempus & modum utenda traditur. eâ lege, ut finito usu vel tempore res eadem in specie restituatur. §. 2. *h. t. l.* 1. §. 3. *&* 4. *ff. de oblig. & act.*

13. Commodato dantur res non fungibiles, sive mobiles, sive immobiles. *l.* 1. §. 1. *ff. commodati.* sive propriæ commodantis, sive alienæ, sic ut & fur & prædo res furtivas commodato dare possit, & commodati agere. *l.* 15. *l.* 16. *ff commodati.* Pecunia numerata non recte commodato datur, nisi forte ad pompam vel ostentationem. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. commodati.*

14. Ex hoc contractu nascitur actio commodati, directa & contraria.

15. Directa est actio personalis bonæ fidei, competens commodanti & ejus heredibus, adversus commodatarium, & ejus heredes, ad id, ut res commodata finito usu vel tempore restituatur incorrupta, ac præstetur dolus & omnis culpa, quia solius commodatarii utilitas vertitur. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati.* §. 2. *h. t.* Si commodantis & commodatarii gratiâ res commodato detur, levis culpa præstanda est. *l.* 18. *ff. commodati.* Si solius commodantis causâ, nil præter dolum & latam culpam præstandum venit. *l.* 5. §. 10. *ff. commodati.* Casus fortuitus per commodatarium præstandus non est; nisi commodatarius eum in se receperit, vel casum antecesserit culpa commodatarii. §. 2. *h. t. l.* 5. §. 4. *ff. commodati.*

16. Contraria actio commodati itidem personalis est, competens commodatario & ejus heredibus, contra commodantem & ejus heredes, in genere ad id, ut indemnis servetur; dum forte impensas fecit, aut damnum ex vitio rei per scientem commodato datæ, vel ex intempestivâ usus ablatione, passus est. *l.* 18. §. 2. 3. *l. pen. ff. commodati.* Ut tamen impen-

sæ

ſæ leviores cum uſu compenſandæ ſint. *d. l.* 18. §. 2.

17. Differt commodatum a precario, quod illud ad certum tempus aut uſum detur, nec ante finitum tempus aut uſum repeti poſſit: at precarium quovis momento recte repetitur; licet certum tempus precario eſſet additum. *l.* 12. *ff. de precario.* Quibus vero modis commodatum differat a mutuo, ex expoſitâ utriuſque naturâ facile colligi poteſt.

18. Depoſitum eſt contractus bonæ fidei, re conſtans, quo res alteri gratis cuſtodienda traditur, eâ lege, ut quandocunque reſtituatur eadem in ſpecie. §. 3. *h. t.* Quod ſi convenerit, ut non niſi poſt certum tempus reddatur depoſitum, is quidem, apud quem depoſitum eſt, uſque ad illud tempus cuſtodire tenetur; ſed deponens non prohibetur ante finem temporis appoſiti depoſitum repetere. *l.* 1. §. 45. 46. *ff. depoſiti.*

19. Deponi poſſunt res fungibiles & non fungibiles, ſive mobiles, ſive immobiles, exemplo commodati; propriæ & alienæ, etiam furto ſubductæ. *l.* 31. §. 1. *ff. depoſiti.*

20. Ex depoſito naſcitur actio depoſiti directa & contraria.

21. Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens deponenti, & ejus heredi, contra depoſitarium, & ejus heredem, ad id, ut res reſtituatur cum acceſſionibus, & præſtetur dolus ac lata culpa; quia ſolius deponentis gratiâ hic contractus celebratur. §. 3. *h. t. l.* 1. §. 5. *ff. de obl. & act. l.* 1. §. 23. 24. *ff. depoſiti. l.* 23. *ff. de reg. jur.*

22. Contraria eſt perſonalis, competens depoſitario & heredibus, adverſus deponentem & heredes, ad id, ut indemnis ſervetur, dum vel damnum ex re depoſitâ paſſus eſt; vel impenſas in rem depoſitam fecit, ſive graves, ſive leves; quippe quæ hic cum uſu compenſari nequeunt, cum depoſitarius re non

utatur *l. 5. l. 23. ff. depositi. l. 61. §. 5. ff. de furtis.*

23. Est autem depositum vel ordinarium seu simplex, jam supra tractatum; vel miserabile; vel sequestrarium.

24. Miserabile depositum est, cum res incendii, ruinæ, naufragii, vel tumultus causâ deponitur ex necessitate. In quo id singulare est, quod ex inficiatione hujus depositi lis in duplum crescit. *l. 1. §. 1. & seqq. ff. depositi.*

25. Sequestrarium depositum est, quo res litigiosa a litigantibus, vel a judice penes tertium deponitur, eâ lege, ut post litis eventum victori restituatur. *l. 6. l. 17. ff. depositi.* Quod quibus modis distet a deposito ordinario, ex utriusque definitione facile colligitur.

26. Invito autem alterutro litigantium, sequestratio regulariter licita non est, quia species est executionis, a quâ non inchoandum. *tot. tit. C. de prohibit. sequestrat. pecuniæ.* nisi justa subsit causa, veluti, metus dilapidationis aut fugæ, contumacia adversarii non facientis sui copiam, aut non caventis. *l. 7. §. ult. ff. qui satisd. cog. l. 20. C. de agric. & censi. l. 5. C. quor. appell. non recip. l. 16. ff. de off. præsid. l. 21. §. ult. ff. de appell.*

27. Ex hoc deposito sequestrario nascitur actio depositi sequestraria, directa & contraria; in quibus eadem fere, quæ in simplicis depositi actione, obtinent. *l. 5. §. 1. 2. l. 12. §. 2. ff. depositi*

28. Pignus est contractus bonæ fidei, re constans, quo creditori res traditur in securitatem crediti, eâ lege, ut soluto toto debito res eadem in specie restituatur. *§. ult. h. t.*

29. Pignori dari possunt res omnes, quæ sunt in commercio, seu quæ etiam emtionem & venditionem recipiunt. *l. 9 §. 1. ff. de pign. & hypoth.* sive mobiles, sive immobiles sint; sive corporales, sive incorpo-

porales, veluti nomina. *l.* 4. *C. qua res pign. dari poss.* ipsum quoque jus pignoris, dum creditor pignus sibi datum rursus pignori dat. *tit. C. si pignus pign. dat. sit.* Non vero res, quæ sunt extra commercium, nec litigiosæ. *l.* 1. §. 2. *ff. qua res pign. dari. l.* 3. *C. eod. tit.* Nec res aliena, nisi domino permittente, aut ratum habente. *l.* 20. *ff. de pignorat. act.* aut sub conditione, si aliquando in debitoris dominium pervenerit. *l.* 16. §. 7. *ff. de pign. & hypoth.*

30. Ex pignore nascitur actio pignoratitia directa & contraria.

31. Directa est actio personalis bonæ fidei, competens ei, qui pignus dedit, adversus creditorem, qui pignus accepit, ad id, ut pignus soluto toto debito restituatur, & creditor præstet dolum, latam ac levem culpam; quia utriusque utilitas in pignore vertitur. §. *ult. h. t. l.* 9. §. 3. *ff. de pignorat. act. l.* 5. §. 2. *ff. commodati. l.* 23. *ff. de reg. juris.* Si pars tantum debiti per debitorem aut heredem ejus soluta sit, pignus pro parte repeti nequit, quia pignoris causa individua est. *l.* 1. 2. *C. de luit pign.* solutioni tamen similis est satisfactio, ut post eam pignus repetatur. *d. l.* 9. §. 3. *ff. de pign. act.*

32. Contraria actio pignoratitia est personalis, competens creditori, adversus eum, qui pignus dedit, ad id, ut indemnis servetur, si forte impensas fecerit, aut damnum passus sit, aut rem alienam vel alteri obligatam, aut æs pro auro deceptus pignori acceperit. Quo casu etiam crimen stellionatus concurrit. *l.* 1. §. *ult. l.* 8. *l.* 9. *l.* 16. §. 1. *l.* 25. *l.* 31. *l.* 36. *ff. de pign. act.*

TIT. XVI.

De verborum obligationibus.

1. Triplex olim erat species verborum obligationis, puta, stipulatio; solennis dotis dictio; & jusjurandum liberti, quo is donum, munus, operas patrono promittebat. Gajus. *Instit. libr.* 2. *tit.* 9. §. 3. 4. 5.

2. Stipulatio est contractus civilis verbis constans, seu, verborum obligatio, quâ quis ad interrogationem alterius se daturum vel facturum congrue respondet.

3. Et olim quidem verba solennia requirebantur; veluti *spondes, spondeo, dabis, dabo, &c.* sed jure novo sufficiunt qualiacunque, sive Latinâ, sive aliâ linguâ prolata. §. 1. *h. t.*

4. Dicta autem est stipulatio a stipulo, id est, firmo, quia plerumque aliis tum contractibus, tum pactis firmandis adjiciebantur. *pr. h. t. l.* 27. *C. de pactis. l.* 7. §. 12. *ff. de pactis. l.* 134. §. 1. *ff. de verb. oblig.*

5. Ex stipulatione nascitur vel certi condictio ex stipulatu, si res certa in stipulatum sit deducta, veluti Stichus, decem aurei &c. vel simpliciter actio ex stipulatu, si id, quod in stipulatum deductum est, incertum sit, veluti, interesse, factum, res in genere, aut duæ res alternative. *pr. h. t.* Utraque competit stipulanti, & ejus heredi, adversus promittentem & ejus heredem, ad id quod stipulatione comprehensum est, vel id quod interest.

6. Stipulationes, sicut & omnes aliæ conventiones, vel pure concipiuntur, vel in diem, vel sub conditione.

7. Pura stipulatio dicitur, quæ simpliciter sine die & conditione concepta est. Ejusque effectus est, quod dies

dies obligationis ſtatim cedat & veniat, & confeſtim inde peti poſſit. §. 2. *h. t. l.* 213. *ff. de verb. ſignif.* adeoque etiam eodem die, quo ſtipulatio interponitur. *l.* 118. §. 1. *ff. de verb. oblig.* ut tamen modica dilatio danda ſit debitori; nec cum ſacco adeundus ſit, ut Paulus JCtus ait. *l.* 105. *ff. de ſolution.*

8. Stipulatio in diem concepta eſt, cui dies certus, id eſt certo exiturus, eſt appoſitus; idque vel expreſſe, veluti, *Kalendis Martiis dari.* §. 2. *h. t.* vel tacite, dum locus adjicitur; quippe cui loci adjectioni ineſt tantum temporis ſpatium, ut commode ad locum perveniri poſſit, in quo dandum aliquid aut præſtandum eſt. §. 4. *h. t. l.* 137. §. 2. *ff. de verb. oblig.* Unde ſi quis Romæ ita ſtipuletur, *hodie Carthagini dare ſpondes*, inutilis eſt ſtipulatio, cum impoſſibilis ſit repromiſſio. §. 4. *h. t. l.* 2. §. 6. *ff. de eo quod certo loco.* Excepto caſu *l. ult.* §. 4. *ff. de verb. oblig.*

9. Effectus ſtipulationis in diem conceptæ eſt, quod dies obligationis ſtatim quidem cedat, veniat autem demum, lapſo die adjecto, ſic ut totus ille dies arbitro promiſſoris ſit. §. 2. *h. t.* §. *pen. Inſt. de inutil. ſtipulat. l.* 213. *ff. de verb. ſignif.*

10. Stipulatio conditionalis eſt, quæ ſub conditione concepta eſt.

11. Effectus ejus eſt, quod dies obligationis cedat & veniat demum exiſtente conditione. § 4. *h. t. l.* 213. *ff. de verb. ſignif.* ſi modo conditio poſſibilis, & in futurum concepta ſit: nam ſi in præteritum vel præſens concepta fuerit, veluti, *ſi Mævius vivat*; vel, *ſi Titius conſul fuerit*, aut ſtatim infirmat obligationem, aut omnino non differt; cum ea, quæ per rerum naturam ſunt certa, non morentur obligationem; licet apud nos incerta ſint. § 6. *h. t.* Quomodo etiam pura obligatio eſt, ſi conditiones impoſſibiles negative adjectæ ſint, veluti, *ſi digito cœlum non tangas*; eo quod conditio illa defi-

cere nunquam poteſt, ſed neceſſario exiſtit. *l. 7. ff. de verb. oblig.*

12. Poteſt autem dies aut conditio non tantum adjici obligationibus, ut ex eâ vel petitio, vel obligatio ſuſpenſa ſit; ſed & ita, ut obligatio ſtatim nata & effectum habens, deinceps per diei aut conditionis exiſtentiam reſolvatur ac ope exceptionis pacti ceſſet; veluti ſi quis ſtipuletur, *annua decem ſibi dari, quoad vivat.* §. 3. *h. t.*

13. Circa diei tamen & conditionis adjectionem multum intereſt inter contractus & ultimas voluntates. Nam ſi quis ſtipuletur ſibi *annua decem quam diu vivet*, ſtipulatio una & pura & perpetua eſt ex ſuâ naturâ, ſic ut & heres ſtipulantis ſummo jure recte petat annua decem, ſed exceptione pacti repellatur, propter adjectionem verborum *quoad vivet*; quibus id tacite actum creditur, ne heres petat. *d.* §. 3. *h. t.* quibusque non appoſitis efficax heredi & heredum heredi in infinitum actio ex illa competiiſſet ſtipulatione; eo quod in dubio quiſque ſibi & heredibus ſuis contrahit atque paciſcitur. *l. 9. ff de probat.* junct. *l. 14. C. de uſufructu.* At ſi *annua decem* legata ſint, non unum, ſed multiplex legatum eſt, ita ut anni primi legatum purum ſit, ſequentium conditionale, *ſi vivat legatarius*, qualis conditio etiam ſubauditur, licet legato addita non ſit; nec ad heredem legatum tranſit, niſi hoc nominatim expreſſum ſit. *l. 4. ff. de annuis legat. l. 22. C. de legatis.* Conditio quoque contractui appoſita ſi ſit, naſcitur inde ſpes obligationis, ſic ut eam contrahens etiam ad heredes ſuos tranſmittat. §. 4. *h. t.* at neque hereditatis, neque legati, ſub conditione relicti ſpes ad heredes tranſit, ſi pendente conditione heres inſtitutus aut legatarius moriatur. *l. 4. l. 5. §. 2. ff. quand. dies legat. ced. l. 79. §. 1. ff. de condit. & demonſtrat.* Hinc pendente conditione is, qui ſtipulatus eſt, creditor eſt; non item is, cui ſub conditione legatum. *l. 42.*

ff. de

ff. de oblig. & act. Sed &, si conditio in non faciendo consistens sit apposita contractui, veluti si stipulator *in Capitolium non ascenderit*, perinde est ac si stipulatus esset, *cum moreretur sibi dari*, adeoque ipse vivus petere nequit. *d.* §. 4 *h. t. l.* 115. §. 1. *ff. de verb. obl.* Cum ex adverso in ultimis voluntatibus sub tali conditione relicta protinus ab aditâ hereditate peti possint, interpositâ cautione Mucianâ, de restituendis relictis, si conditioni paritum non sit. *l.* 7. *l.* 18. *ff. de condit. & demonstr. novell.* 22. *cap.* 44. *pr. &* §§. *seqq.* Denique impossibilis conditio contractibus apposita eosdem omnino vitiat. *l.* 31. *ff. de oblig. & act.* at institutionibus & legatis addita pro non scripta habetur, ac ultimam voluntatem puram facit. §. 10. *Inst. de hered. instituend.*

14. Altera stipulationum divisio est, quod aliæ rerum sint, aliæ factorum; seu quod quædam in dando, quædam in faciendo aut non faciendo consistant.

15. Dare autem est dominium transferre. Facti obligatio si concepta sit, commune illud est omnibus facti obligationibus, quod promissor liberari possit præstando id quod interest. *l.* 13. *in fine ff. de re judic. l.* 72. *ff. de verb. oblig.* Interesse autem dicitur, *quantum alicui abest, quantumque lucrari potuit. l.* 13. *ff. rem rat. haberi.* sed quia difficilis est probatio ejus quod interest, ac illud plerumque ad modicum reducitur, hinc consultum est, facti stipulationi subjungi pœnæ stipulationem, veluti, *si quid ita factum non sit, pœnæ nomine centum aureos dari*, §. *ult. h. t.* Quo casu pœnæ petitio etiam ei competit, cujus aut parum aut nihil interest. *l.* 38. §. 17. *ff. de verb. oblig.*

TIT. XVII.

De duobus reis ſtipulandi & promittendi.

1. Duo rei ſtipulandi ſeu credendi ſunt, cum duo pluresve, in ſolidum ſinguli, uno eodemque tempore, rem eandem, ſtipulantur principaliter; eâ mente, ut ſinguli quidem rem totam exigant, omnes tamen unam tantum. *pr.* & §. 1. *h. t. l.* 2. *ff. h. t.*

2. Duo rei promittendi ſeu debendi ſunt, cum plures, in ſolidum ſinguli, uno eodemque tempore, rem eandem promittunt principaliter, eâ mente, ut ſinguli quidem rem totam debeant, omnes tamen unam tantum. *d. pr.* & §. 1. *h. t. d. l.* 2. *ff. h. t.*

3. Si diverſis temporibus plures eandem rem ſtipulentur aut promittant in ſolidum ſinguli, non ſunt duo rei ſtipulandi vel promittendi; niſi id in poſteriore ſtipulatione additum ſit. *l.* 3. *pr. ff. h. t.* Uti nec, ſi ſinguli tantum partem promiſerint. *l.* 3. *C. h. t.* Plane, ſi alter pure, alter in diem vel ſub conditione ſtipuletur aut promittat, non ideo minus duo rei debendi vel credendi ſunt, ac pendente die aut conditione conveniri poteſt aut agere is, qui pure promiſit aut ſtipulatus eſt. §. *ult. h. t.*

4. Effectus eſt, quod ſinguli in ſolidum agere ac conveniri poſſint, ac in arbitrio promiſſoris ſit, cui ſolvere velit; niſi ex duobus ſtipulandi reis jam unus agere cœperit; tunc enim promiſſor alteri offerendo pecuniam nihil agit. *l.* 16. *ff. h. t.* Et ſi unus ſolidum ſolverit, vel acceptilatione aut novatione liberatus ſit, reliqui etiam deſinunt obligati eſſe: vel ſi uni ſolutum ſit, aut is accepto tulerit, novaveritve, reliquis ſtipulandi reis perit obligatio. *d* §. 1. *h. t. l.* 2. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. l.* 31. §. 1. *ff. de novat.*

5. Sed

5. Sed qui solidum solvit solus, partem ab altero debendi reo haud repetit, & qui solidum solus exegit, partem alteri non communicat; cum neuter ultra solverit, aut acceperit, quam quod ipse debebat, aut ipsi debebatur. arg. §. 1. *h. t.*

TIT. XVIII.

De stipulationibus servorum.

1. Stipulationes vel hominum liberorum sunt, vel servorum. Licet enim servi ex suo capite considerati jure civili pro nullis fuerint habiti. *l.* 32. *ff. de reg. jur.* tamen ex personâ domini jus stipulandi habent. *pr. h. t.* etiamsi hereditarii servi sint, quales sunt, qui necdum aditâ domini defuncti hereditate, ad ipsam hereditatem jacentem, defunctum repræsentantem, pertinent, eique, ac per consequens heredi futuro acquirunt. *d. pr. h. t.* ut tamen usumfructum servus hereditarius inutiliter stipuletur, quia ususfructus sine personâ esse non potest. *l.* 26. *ff. h. t.*

2. Acquirit autem servus obligationem ex stipulatu non sibi, sed domino suo, sive sibi, sive domino, sive conservo suo, sive impersonaliter, stipulatus sit. §. 1. *h. t.* &, si plures dominos habeat, unicuique eorum pro portione dominii acquirit. §. *ult. h. t.* nisi vel rem, quæ uni acquiri nequit, stipulatus sit, veluti rem unius domini. *d.* §. *ult. h. t.* vel ex re unius domini, veluti, damni infecti, cum unius domini ædibus integris a vicinis vitiosis damnum immineret; vel servitutem prædio unius domini. *l.* 7. §. *ult. ff. h. t.* vel nominatim uni eorum, aut jussu unius uni jubenti stipulatus sit. §. *ult. h. t.* adeo ut, si spretâ domini unius jussione, alteri stipulatus sit, nihilominus jubenti obligatio acquiratur. *l. ult. C. per quas person. cuique acquir.* Quod si servus sti-

puletur, ut sibi per fundum vicini ire, agere liceat, ipse tantum prohiberi non debet a vicino, non item dominus ejus. §. 2. *h. t.*

TIT. XIX.

De divisione stipulationum.

1. Nobilissima stipulationum divisio est, quod vel judiciales sint, vel prætoriæ, vel conventionales, vel communes. *pr. h. t.*

2. Judiciales sunt, quæ a mero judicis officio proficiscuntur, seu, quas judex quâ judex jubet interponi. Veluti, cautio de dolo, seu, dolum malum abesse & absuturum esse : & de persequendo servo qui in fugâ est, restituendove pretio. §. 1. *h. t. l.* 14. §. 11. *ff. quod met. caus. l.* 21. *ff. de rei vindic.*

3. Prætoriæ, quæ a mero prætoris officio proficiscuntur; seu, quas prætor quâ prætor jubet interponi; veluti, cautio damni infecti, aut legatorum nomine. §. 2. *h. t.*

4. Damnum infectum dicitur, quod nondum factum est, sed fieri metuitur. *l.* 2. *ff. de damno infecto.*

5. Cautio de damno infecto est, quâ illi, qui rei vitiosæ domini sunt, aut dominorum loco habentur, promittunt ei, cujus rebus damnum imminet ex vitiosâ re, se damnum reparaturos, ubi illud datum fuerit. *l.* 13. *pr.* & §. 1. 3. *ff. de damno infect.* Quam si præstare recusent, missio fit in possessionem rei vitiosæ ex primo decreto, ex quo missus consequitur detentionem rei una cum domino. *l.* 15. § 20. *l.* 38. §. 1. *ff. de damn. infect. l.* 3. §. *ult ff. de acquir. poss.* Si nec ita ad cavendum adigi possint, missio ex secundo decreto fit; cujus vi missus dominum expellere potest, ac rem usucapere. *d. l.* 3. §. *ult.*

ult. ff. de acquir. poss. l. 15. §. 16. *ff. de damn. infecto.*

6. Cautio legatorum nomine est, quâ heres aliusve, legato vel fideicommisso post tempus, vel conditionis eventum præstando gravatus, cavet se legata soluturum illis diebus, quibus testator dari fierive voluerit, & dolum malum abesse ac absuturum esse. *l.* 1. *ff. ut legat. servand. causâ cav.*

7. Conventionales stipulationes sunt, quæ ex merâ voluntate contrahentium interponuntur: ac tot fere sunt, quot sunt genera rerum contrahendarum. §. 3. *h. t.*

8. Stipulationes communes dicuntur, quæ quandoque a judicis, quandoque a prætoris officio proficiscuntur; qualis est cautio de rato; &, rem pupilli salvam fore. §. 4. *h. t.*

TIT. XX.

De inutilibus stipulationibus.

1. Stipulationes insuper aliæ utiles sunt, aliæ inutiles.

2. Inutiles sunt vel ratione materiæ, vel ratione formæ, vel ratione causæ efficientis seu personarum contrahentium, vel ratione finis.

3. Ratione materiæ, dum quis stipulatur rem, cujus commercium de facto aut de jure non habet.

4. De facto, veluti hippocentaurum qui esse non possit, aut Stichum mortuum quem vivere credebat. §. 1. *h. t. l.* 69. *ff. de verb. oblig.* Si tamen Stichus, ex aliâ causâ debitus, post moram promissoris mortuus sit, adhuc recte in stipulatum deducitur, ut æstimatio præstetur. *l.* 83. §. *pen. ff. de verb. oblig.*

5. De jure, si rem sacram, sanctam, religiosam, theatrum, forum, aut hominem liberum stipuletur, sive pure, sive sub conditione *si res sacra esse desierit*, vel

vel *si liber homo servus fiat.* §. 2. *h. t.* quia fas non est, hujusmodi casus expectare. *l.* 34. §. 2. *ff. de contrah. empt.* Sed & si ab initio res recte in stipulatum deducta, postmodum sine facto promissoris desierit esse in commercio, extinguitur stipulatio. §. 2. *h. t.* Quod si in stipulatoris sed non in promissoris commercio res sit, efficax stipulatio est; secus, si non stipulator sed promissor commercium habeat. *l.* 34. *ff: de verb. oblig.*

6. Rem quoque suam sibi dari, non recte quis stipulatur. *d.* §. 2. *h. t.* nisi sub conditione. *l.* 31. *l.* 98. *ff. de verb. oblig.* sicut & recte stipulatur rei suæ restitutionem. *l.* 82. *ff. de verb. oblig.*

7. Similiter factum quisque suum honestum atque licitum, non item factum alienum, utiliter promittit; cum alienum factum promittendo, sese noluerit, & alium non potuerit obligare. §. 3. *h. t.* nisi insuper promittat, se effecturum, ut alius faciat. *d.* §. 3. *h. t.* vel facti alieni promissioni subjunxerit pœnæ promissionem, si ita factum non sit. § 21. *h. t.* vel in cautionibus prætoriis promittat, reum se stiturum, aut dominum rem ratam habiturum.

8. Ratione formæ inutilis est stipulatio, si quis non sibi, sed alteri stipuletur, cujus juri subjectus non est § 4. & 19 *h. t.* nisi subjunxerit pœnæ stipulationem, quo casu pœnæ petitio est, si alteri non detur. *d.* §. 19. *h. t.* vel nisi stipulantis intersit, alteri dari, veluti, procuratori suo. §. 20. *h. t.*

9. Si quis *sibi & Titio* decem dari stipuletur, in dimidiam tantum partem subsistit obligatio, nec quicquam Titio acquiritur §. 4. *in med. h. t.* nisi res individua sit, quæ tunc in totum stipulanti cedit. arg. *l.* 5. *ff. commun. præd. tam urb. quam rust.*

10. Si quis *sibi aut Titio* dari stipuletur, obligatio tota in solâ stipulantis personâ subsistit, Titius agere nullo modo potest; verum recte ei solvitur, unde & dicitur adjectus solutioni; & si ei solutum sit, actio-

ne

ræ mandati tenetur stipulatori, tanquam qui stipulatoris negotium ex mandato gessit, acceptando solutum. *d.* §. 4. *h. t.*

11. Sed & formæ vitio laborat stipulatio, quoties responsio non convenit interrogationi; veluti, si quinque stipulanti decem promittas, ut tamen tunc valeat usque ad summam concurrentem, quia majori summæ minor inest. §. 5. *h. t. l.* 1. §. 4. *ff. de verb. oblig.* vel si roganti pure, tu respondeas sub conditione; nisi disparitas responsionis ilico placuerit. *d.* §. 5. *h. t. l.* 1. §. 3. *ff. de verb. oblig.* Quod si roganti sub conditione tu simpliciter respondeas, conditio censetur repetita esse, nec diversitas responsionis est. §. 5. *h. t.* Sed &, si stipulanti Stichum alter *Stichum & Pamphilum promittat*, quantum ad Stichum stipulatio valet. *l.* 1. §. 5. *ff. de verb. oblig.* Uti vice versâ, si stipulanti *Stichum & Pamphilum*, solus Stichus promittatur. §. 18. *h. t.* quia tot diversæ censentur conceptæ stipulationes, quot sunt diversæ res in stipulatum deductæ. *d.* §. 18. Sed si alternative duo corpora, veluti *Stichum aut Pamphilum* quis stipuletur, & alter tantum Pamphilum promittat, aut vice versâ, inutilis stipulatio est: secus, si duæ sint quantitates, puta *decem aut quindecim. l.* 83. §. 2. 3. *ff. de verb. oblig.*

12. Denique ob formam non servatam inutilis stipulatio est, quoties inter absentes fit. §. 12. *h. t.* Si tamen in instrumento scriptum sit, Titium Mævio stipulanti promisisse, præsumtio veritatis militat pro illâ scripturâ. *d.* §. 12. *h. t.* uti &, solenniter gestum esse, quod actum est. §. 17. *h. t.* Unde is, qui se promisisse negat contra talis scripturæ fidem, negationem suam probare debet, docendo, se, vel adversarium suum, toto illo die, quo stipulatio facta dicitur, alio in loco fuisse, atque ita promittere non potuisse. *d.* §. 12. *h. t. l.* 14. *C. contrah. & commit. stipul.* Licet enim *factum negantis probatio nulla*

sit.

sit. l. 23. C. de probat. tamen id tantum in negatione simplici verum est, non item in eâ, quæ circumstantiis loci & temporis ac similibus munita est, in quâ probandum id, quod affirmativum est, veluti, *se vel adversarium alibi fuisse*, quo probato, sequitur veritas negationis, se scilicet non promisisse.

13. Præpostera stipulatio hodie valet, sicut & ea, quâ quis post mortem suam stipulatur aut promittit; illa vero, quæ in casum mortis stipulatoris, aut promissoris, aut tertii concipitur, & olim valuit, & hodie valet. §. 13. 14. 15. 16. *h. t.*

14. Causæ efficientis respectu non subsistit stipulatio, si furiosus, mente captus, infans, mutus, surdus, stipuletur, aut promittat; vel inter dominum & servum, aut patrem & filiumfamilias stipulatio intercedat in iis causis, in quibus pater & filiusf. pro unâ personâ habentur. §. 6. 7. 8. 10. *h. t.* Mutus tamen & surdus per servum suum recte stipulatur, ac promittit stipulanti. *l. 1. pr. ff. de verb. obligat.* Quo modo pupillus se aliis & alios sibi obligare possit, dictum. *tit. de autor. tut.*

15. Ratione finis stipulatio inutilis, quoties ei naturâ vel moribus impossibilis conditio de futuro apponitur. §. 11. *h. t. l.* 31. *ff. de oblig. & act.*

TIT. XXI.

De fidejussoribus.

1. Fidejussor est, qui alienam obligationem mediante stipulatione in se recipit, reo principali manente obligato. Et differt ab expromissore, qui alienam obligationem mediante stipulatione in se recipit, reo principali liberato. *l. 7. § 8. ff. de dolo. l. 4. ff. de condict. caus. dat.* Differt & a constituente, qui non stipulatione sed pacto prætorio interveniente obligatur, nec tantum constituit id, quod alius, se

sed & quod ipse debet. *l.* 1. §. 4. *l.* 11. §. 1. *l.* 13. *ff. de constit. pecun.* §. 9. *Inst. de action.* Denique etiam a mandatore: quippe qui semper obligationem principalem antecedit. *l.* 12. §. 14. *ff. mandati.* cum ex adverso fidejussio antecedere & sequi possit §. 3. *h. t.* idque conceptione verborum, non vi & efficaciâ obligationis *l.* 57. *ff. h. t.*

2. Fidejussor accedere potest omni obligationi. *l.* 1. *ff. h. t.* sive illa ex contractu, sive ex delicto sit. quatenus pecuniarie agitur. §. 1. *h. t. l.* 8. §. 5. *l.* 56. §. *ult. l.* 70. §. *ult. ff. h. t.* ut &, si agatur ad pœnam corporalem. quatenus fidejussor tunc cavet de reo sistendo. *l.* 1. *ff. de custod. & exhib. reor.* non item, ut se obliget ad pœnam corporalem, arg. *l.* 26. *ff. de pœnis.* Nec interest, utrum obligatio naturalis & civilis sit, an naturalis tantum. *d.* §. 1. *h. t. l.* 13. *ff. de condict. indeb.* Si modo talis sit obligatio naturalis, quæ jure civili improbata non est: unde inefficax est fidejussio pro prodigo sine curatoris autoritate obligato. *l.* 6. *ff. de verb. obligat.* vel pro muliere contra Senatusconsultum Vellejanum intercedente, aut filiofamilias mutuum accipiente contra Senatusconsultum Macedonianum.. *l.* 16. §. 1. *ff. ad Senatusc. Vell. l.* 9. § 3. *ff. ad Senatusc. Maced.*

3 Pro dotis tamen restitutione mulier a marito stante matrimonio nequit fidejussorem accipere, sed demum eo soluto, *tot. tit. C. ne fidejuss. dot. dentur. l.* 24. §. 2. *ff. soluto matrimon.* nec pro populari actione recte fidejussor datur. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* Et quamvis fidejussor arctius obligari possit, quam principalis debitor, adeoque naturaliter & civiliter simul ex stipulatu, cum principalis tantum deberet naturaliter; tamen in duriorem causam accipi non potest, seu, ut plus debeat, quam debet is, pro quo obligatur. §. 5. *h. t.* & si quidem qualitate se durius obstrinxerit, nullius momenti est tota fidejussio. *l.* 8. §. 8. 9. 10. *h. t.* sin quantitate, dum fidejussit in vi-

viginti, cum tantum decem essent debita, ad summam concurrentem seu decem obligatur, quia majori summæ minor inest. arg. *l.* 11. §. 1. *ff. de const. pecun.* junct. *l.* 1. §. 4. *ff. de verb. oblig.*

4. Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed & heredem relinquit obligatum. §. 2. *h. t.*

5. Quia tamen fidejussores plerumque non in suam sed alienam utilitatem obligantur, hinc in eorum favorem tria beneficia sunt introducta, puta, ordinis seu excussionis, divisinois, & cedendarum actionum.

6. Ordinis seu excussionis beneficium, (a Justiniano introductum) est, quo opposito fidejussor, ante principalem debitorem conventus, petit, ut prius excutiatur reus principalis. *nov.* 4. *cap.* 1. ac dilatoriis, non peremtoriis, exceptionibus hæc accensenda est. Cessat tamen, si reus principalis absit, nec conveniri possit. *auth. præsente C. h. t.* si fidejussor huic beneficio renunciaverit. arg. *l. pen. C. de pactis.* aut per mendacium negaverit, se fidejussisse. arg. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* aut se obligaverit tanquam principalem.

7. Divisionis beneficium (ab Hadriano introductum. §. 4. *h. t.*) locum habet, cum plures pro eodem debito sine partis mentione intercesserunt; & est, quo opposito, unus ex pluribus confidejussoribus in solidum conventus, petit, ne ultra virilem debiti partem condemnetur: si modo confidejussores reliqui, quorum intuitu hoc petit, tempore litis contestatæ solvendo sint. §. 4. *h. t. l.* 26. 27. 28. *ff. h. t.* Et hæc exceptio non dilatoria, sed peremtoria est, ac propterea usque ad sententiam opponi potest *l.* 10. §. 1. *C. h. t.* Cessat tamen, si quis per mendacium negaverit se fidejussisse. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* si ei renunciaverit. arg. *d. l. pen. C. de pactis.* si cum muliere fidejusserit. *l.* 48. *ff. h. t.* vel intervenerit una cum aliis pro tutore, rem pupilli salvam fore. *l.* *ult.*

ult. ff. rem. pup. vel adolesc. salvam fore. Cessat & inter primum & secundum fidejussorem, id est eum, quem fidejussor primus pro se dedit. *l. 27. §. 4. ff. h. t.*

8. Beneficium cedendarum actionum est, quo opposito fidejussor unus ex pluribus solidum solvere paratus, petere potest, sibi a creditore cedi seu vendi actiones contra confidejussores, ac reum principalem. *l. 17. ff. h. t.* Licet non tantum ante, sed & post solutionem, recte peti possit, actiones cedi; si modo ante solutionem de iis cedendis conventio intercesserit. *l. 36. ff. h. t. l. 76. ff. de solution.*

9. Ne autem fidejussori officium suum damnosum sit, id quod solvit ex fidejussione suâ repetere potest a principali debitore, per actionem mandati, si mandatum intercesserit, aut per actionem negotiorum gestorum, si defuerit mandatum. *§. 6. h. t. l. 6. §. 2. l. 20. §. 1. ff. mandati.* Quæ tamen utraque actio cessat, si quis pro debitore invito & prohibente fidejusserit. *l. 40. ff. mandati.* vel pro pupillo sine tutoris autoritate obligato; vel pro servo apud dominum; vel sine mandato pro eo, qui tantum naturaliter ex pacto obligatus erat. Plane antequam ipse solverit ex suâ fidejussione, nullam adversus debitorem petitionem habet; nisi id nominatim actum sit, vel fidejussor jam ad solvendum sit condemnatus, vel debitor incipiat bona dilapidare. *l. 10. C. mandati.*

TIT. XXII.

De literarum obligationibus.

1. Natura literarum obligationis antiquæ, quæ nominibus fieri dicebatur, non ita certa est, nec Justiniani tempore in usu fuit. Sed secundum jus recentius literarum obligatio a Triboniano appellata fuit, cum quis chirographo confessus est, spe futuræ

 nu-

numerationis, sibi numeratam esse pecuniam, quæ tamen numerata non est. *h. t.*

2. Conventus autem ex tali scripturâ opponit agenti exceptionem non numeratæ pecuniæ; quæ, si intra biennium opponatur, privilegiata est; sic ut, cum vulgo reus excipiens exceptionem suam probare debeat, tanquam qui excipiendo actor fit. *l. 1. ff. de except.* tamen hanc opponens, nihil probare teneatur, sed contra actor ipse docere debeat, numerationem factam esse. *l. 3. C. de non numer. pecun.*

3. Lapso biennio si exceptio hæc sive non numeratæ pecuniæ, sive doli opponatur (uti opponi potest. arg. *l. 2. § 3. l. 5. §. ult. ff. de doli mali & met. except.*) ad ordinariam exceptionum naturam revertitur, & excipienti ipsi onus incumbit probandi, numerationem secutam non esse: & ideo, si actor intra biennium ex hâc scripturâ non agat, ut reo sua privilegiata pereat exceptio, is qui chirographum scripsit, illud intra biennium condicere potest condictione sine causâ. *l. ult. C. de condict. ex lege & sine causâ.* si modo possessor chirographi præsens sit, ut conveniri possit: nam si absit, aut latitet, adversus eum querela apud competentem judicem interponenda, per quam ei perpetua efficitur exceptio privilegiata. *l. 14. §. 4. C. de non numer. pecun.*

4. Cessat hæc exceptio, si quis jam solverit partem debiti scripturâ comprehensi. *l. 4. C. de non num. pecun.* si transactionis causâ pecuniam promiserit. *l. 11. C. de non numerat. pec.* si argentario confessus sit, sibi numeratum esse. *nov. 136. cap. 5. 6.* vel confessio ex causâ antecedentis debiti facta sit *l. 5. l. 13. C. de non num. pec.* Nec locum habet in deposito, nec in apochis publicarum functionum; in privatis apochis per dies triginta hæc exceptio admittitur. *l. 14. §. 1. 2. C. de non num. pecun.*

TIT.

TIT. XXIII.

De obligationibus ex consensu.

1. Consensu constantes contractus sunt, ad quorum perfectionem nil præter consensum determinatum requiritur; adeoque nec rei traditio, nec verba, nec scriptura. *pr. &* §. 1. 2. *h. t.* quamvis hæc omnia possint intervenire, ac traditio quoque ad consummandos hosce contractus requiratur.

2. Omnes autem contractus consensu constantes non modo inter præsentes, sed & inter absentes per epistolam aut nuncium iniri possunt. §. 2. *h. t.* Et quia omnes ab utroque latere obligatorii sunt, etiam omnes sunt bonæ fidei, sic ut in iis alter alteri obligetur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, licet in conventionem deductum non sit; cum ex adverso in stipulatione, & aliis stricti juris contractibus, judex conventioni partium adstrictus sit, nec eam regulariter excedere possit. §. *ult. h. t. l.* 99. *ff. de verb. signif.*

3. Species contractuum consensu constantium quinque sunt, puta, emtio & venditio, locatio & conductio, emphyteusis, societas, & denique mandatum.

TIT. XXIV.

De emtione & venditione.

1. Emtio est contractus bonæ fidei consensu constans, de re certo pretio permutandâ.

2. Hujus tria sunt substantialia requisita; consensus merx seu res, & pretium. *pr. h. t. l.* 2. §. 1. *l.* 8. *ff. de contrah. emt.*

3. Si emtio consensu perfecta sit, alter altero invito

ad eâ recedere non poteſt, ne quidem ſub diſpendio arrharum datarum, aut reſtitutione duplicatarum; niſi id actum ſit, ut in ſcriptis celebretur venditio, tunc enim emtio perfecta non intelligitur, niſi poſtquam ſcriptura partibus omnibus abſoluta eſt; adeoque quamdiu aliquid deeſt, pœnitentiæ locus eſt, ita tamen, ut ſi arrha intervenerit, is qui contractum adimplere recuſat, arrham datam amittat, acceptam vero reſtituat duplicatam. *pr. h. t.* Arrha enim quandoque datur in ſignum emtionis jam perfectæ; aliquando in ſignum emtionis inchoatæ & ulterius perficiendæ. *d. pr. h. t. l. 35. ff. h. t. de contrah. emt.*

4. Conſenſui obeſt vis, metus. *l. 116. ff. de reg. jur.* dolus. *l. 7. ff. de dolo.* præcipue error. *l. 15. ff. de jurisdict.* qui facit emtionem nullam, ſi ſit in toto corpore. *l. 9. ff. h. t.* vel in pretio, ſic ut nulla ſumma concurrens ſit, in quam venditor & emtor conſentiant. *d. l. 9. ff. h. t.* vel in qualitate ſubſtantiali. *l. 9. §. 2. l. 11. §. 1. ff. h. t.* vel in qualitate, quam res habet a jure, dum ſacra aut ſancta eſt. *l. 62. §. 1. ff. h. t.* vel denique in totâ materiâ. *l. 14. ff. h. t.* Contra tamen emtio non eſt nulla, ſed ſubſiſtit, pretio pro ratâ augendo vel minuendo, ſi erratum tantum ſit in qualitate accidentali. *l. 11. §. 1. ff. h. t.* vel in parte materiæ. *l. 14. ff. h. t.* vel in quantitate, cum res ad quantitatem vendita eſſet: nam ſi non ad quantitatem, ſed ad corpus ſit vendita, inventa aliquanto major aut minor menſura non facit, ut pretium augeatur aut minuatur, niſi dolus adſit. *l. 4. §. 1. l. 13. §. 14. l. 42. in fine ff. de act. emt. l. 40. §. 2. ff. h. t.*

5. Pretium eſt id, quo res æſtimatur: ac conſiſtere debet in pecuniâ numeratâ, non item in aliis rebus, ut a permutatione diſtinguatur. *§. 2. h. t. l. 1. pr. & §. 1. ff. h. t.* Debet & juſtum eſſe ac rei reſpondens: nam etſi contrahentibus licet naturaliter ſe invicem

in

in pretio modice circumvenire. *l.* 16. §. 4. *ff. de minor.* 25. *annis.* tamen enormis læsio, quæ est ultra dimidium justi pretii, per leges reprobata est, ac locum facit remedio *l.* 2. *C. de rescind. vend.* Sed & tertio necesse, ut pretium certum sit, vel per se, vel per relationem ad aliud; veluti, *quantum in arcâ est*, vel *quanti venditor ipse emit. l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* si modo aliquid in arcâ reperiatur; alioquin sine pretio nulla emtio est. arg. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Nec dubium, quin & in arbitrium tertii certi, non incerti, conferri possit pretii determinatio, puta, *quanti Titius arbitratus fuerit*: quo casu venditio conditionalis est, nec ante perfecta, quam si ille tertius pretium definierit; qui si noluerit aut non potuerit, emtio nulla est §. 1. *h. t. l. fin. C. h. t. l.* 25. *ff. locati.* sin definiverit quidem, sed pretium manifeste iniquum, corrigi debet iniquitas judicio bonæ fidei. *l.* 79. *ff. pro socio.* In arbitrium plane emtoris aut venditoris conferri nequit pretii determinatio. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* nisi magis ut vir bonus quam ut emtor consideratus sit. *l.* 7. *ff. h. t.*

6. Sine re, quæ veneat, nulla emtio est. *l.* 8. *ff. h. t.* vendi autem possunt res omnes, quæ sunt in commercio, præsentes & futuræ, fructus nascituri, frumentum in herbâ. *l.* 8. *l.* 78. §. 3. *ff. h. t.* mobiles & immobiles, corporales & incorporales, veluti hereditates & nomina seu actiones. *tot. tit. ff. de hered. vel. act. vend.* propriæ & alienæ. *l.* 28. *ff. h. t.* spes, alea, jactus retis &c. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t. l.* 12. *ff. de act. emti.* At non res commerciis hominum exemtæ, sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo; quæ tamen si pro profanis fuerint venditæ utroque emtore & venditore sciente, vel utroque ignorante, emtio ita nulla est, ut nec alteri in alterum ulla actio detur. Sin venditor sciens emtorem ignorantem deceperit, ob dolum actio ex emto datur emtori ad id quod interest. §. *ult. h. t. l.* 62. §. 1. *ff. h. t.*

h. t. Et si è contrario emtor sciens emerit rem talem à venditore qualitatem rei ignorante, ad pretium obligatur. arg. *l.* 57. §. 2. *ff. h. t.*

7. Periculum autem & commodum rei venditæ statim post contractum perfectum ad emtorem pertinet, licet res emtori necdum tradita sit. §. 3. *h. t. l.* 4. *C. de peric. & comm. rei vend.* Quamvis enim venditor usque ad traditionem dominus sit. *d.* §. 3. *h. t.* & res regulariter suo domino pereat. *l.* 9. *C. de pignorat. act.* tamen regula illa fallit, quoties dominus simul speciei debitor est; cum debitor speciei liberetur rei interitu. *l.* 23. *ff. de verb. oblig.*

8. Interim venditor dolum, latam ac levem culpam in re venditâ usque ad traditionem præstare tenetur, quia contractus hic utriusque continet utilitatem. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati.* imo de solo dolo & latâ culpâ obstrictus est, si emtor in re venditâ recipiendâ moram fecerit. *l.* 17. *ff. de peric. & commod. rei vend.*

9. Sunt tamen casus, quibus rei venditæ periculum ante traditionem ad venditorem spectat, puta, si venditio conditionalis sit, & pendente conditione res tota pereat. *l.* 8. *l.* 10. *ff. de peric. & commod. rei vend.* si venditor periculum in se receperit. §. 3. *h. t. l.* 78. §. *ult. ff. h. t.* aut in morâ tradendi sit. *l.* 4. *C. de peric. & commod. rei vend.* aut res fungibilis ad pondus, numerum, aut mensuram sit vendita, & necdum appensa, admensa, vel adnumerata: (secus si per aversionem tanquam corpus distracta sit. *l.* 35. §. 5. *ff. h. t.*) aut duæ res alternative sint venditæ, & una pereat: nam si utraque extinguatur, una venditori, altera emtori perit. *l.* 34. §. 6. *ff. h. t.* aut denique res ad gustum sit vendita, ut vinum degustandum: cum acoris & mucoris periculum ad venditorem spectet, donec vinum degustatum ac probatum fuerit; quia post gustum adhuc improbare licet. *l.* 34. §. 5. *ff. de contrah. emt.*

10. Periculi autem nomine hic venit omne damnum, cor-

corruptio, deterioratio, ablatio rei. Commodi appellatione omnis utilitas rei accedens significatur, ut fructus, partus, fœtus, alluvio, aliaque quævis accessio. §. 3. *h. t. l.* 13. §. 10. 12. 18. *ff. de act. emti.*

11. Ex emtione perfectâ nascitur actio duplex, emti, & venditi.

12. Actio emti est personalis bonæ fidei, competens emtori adversus venditorem, heredi & in heredem, ad id, ut res vendita tradatur cum fructibus post venditionem perceptis, cæterisque accessionibus, & aliis vel speciali pacto comprehensis, vel ex generali emtionis naturâ præstari solitis. §. 1. *in med. &* §. 3. *h. t. l.* 11. *pr. &* §. 1. 2. *l.* 13. §. *ult. & ll. seqq. ff. de act. emti.* aut alioquin præstetur id quod interest. *l.* 12. *ff. de act. emti. l.* 4. *C. de act. emti.*

13. Actio venditi est personalis bonæ fidei, competens venditori adversus emtorem, heredi & in heredem, ad id, ut pretium solvatur una cum usuris ex morâ *l.* 13. §. 19. 20. *ff. de act. emti. l.* 5. *C. eod. tit.*

TIT. XXV.

De locatione & conductione.

1. Locatio conductio est contractus bonæ fidei, consensu constans, de usu vel operâ cum mercede commutandâ. Licet enim in jure nostro occurrat etiam locatio & conductio operis, unde & operum redemtores appellantur, & ejus quidem vel per aversionem, vel in pedes mensurasve elocati. *l* 36. *l.* 37. *l.* 51. §. 1. *ff. h. t.* tamen ipsa conductio seu redemtio operis continet in se locationem operæ; dum artifex opus redimens locat operam suam, seu faciendi necessitatem. *l.* 22. §. 2. *ff. h. t.*

2. Nititur hæc locatio & conductio iisdem fere regulis juris, quibus emtio venditio; nam & tria requirit substantialia requisita, consensum, & usum vel ope-

 ram,

ram, ac mercedem: & perfecta censetur, quamprimum de usu vel operâ & mercede convenit. *pr. h. t.* mercesque in eâ debet esse certa, vel per se, vel per relationem in arbitrium tertii certi, non incerti: adeo ut, si quis fulloni polienda dederit vestimenta, nullâ certâ mercede constitutâ, sed tantum daturus, quantum postea inter eos convenerit, non locatio & conductio contracta intelligatur, sed contractus innominatus, & *actio præscriptis verbis* inde detur. §. 1. *h. t.* Sed & in numeratâ pecuniâ mercedem consistere necesse est, adeo ut, si duo singuli sibi invicem rem suam ad tempus utendam dederint, locatio & conductio futura non sit, sed contractus innominatus, unde *præscriptis verbis actio* competit. §. 2. *h. t.* eo excepto, quod favore agriculturæ obtinuit, fundum certâ olei aut aliorum fructuum ponderatione potuisse locari. *l. 21. C. h. t.* qualis tamen conductor cum colono partiario, quotam fructuum nasciturorum, veluti, tertiam aut quartam præstante, confundendus non est; cum hic non conductionis sed magis quasi societatis jure lucrum & damnum cum domino fundi partiatur. *l. 25. §. 6. in fine ff. h. t.*

3. Differt tamen ab emtione locatio, quod per emtionem, concurrente traditione, dominium in emtorem transeat, si venditor tradens dominus sit, aut saltem vacua possessio cum usucapiendi facultate, si dominus non sit. *l. 11. §. 2. ff. de act. emti.* locatione autem non soleat dominium transferri. *l. 39. ff. h. t.* nisi locatio anomala seu irregularis sit. *l. 31. ff. h. t.* Hinc, si cum aurifice Titius conveniat, ut is ex auro suo certi ponderis certæque formæ annulos faciat, & decem aureos accipiat, emtio potius quam conductio contrahitur: secus, si Titius ipse suum aurum in id dederit. §. 4. *h. t.*

4. Ex locatione conductione perfectâ nascitur actio locati, & conducti.

5. Actio

5. Actio locati est personalis, bonæ fidei, competens locatori adversus conductorem, heredi & in heredem, ad id, ut mercedem solvat, finito tempore locationis rem incorruptam restituat, ac regulariter dolum, latam & levem culpam præstet, omnia denique faciat secundum legem conductionis, seu appositam conductioni pactionem. §. *pen. h. t. l. 5. §. 2 ff. commodati. l. 48. §. 1. ff. h. t. l. pen. C. h. t.*

6. Potest tamen conductor quandoque petere mercedis remissionem, vel in totum, vel pro parte; puta. I. Ob insolitam sterilitatem, non vitio ipsius rei, qualis arborum vetustas, sed extrinsecus evenientem, nisi unius anni ubertas suppleat alterius anni defectum, aut aliud actum sit. *l. 15. §. 2. & seqq. ff. h. t.* II. Si conductor ante finitum conductionis tempus migraverit ex justâ causâ; qualis est metus hostium, ruinæ, aut alius similis justus terror. *l. 13. §. 7. l. 27. §. 1. ff. h. t.* III. Si minus commoda præstetur habitatio. *l. 25. §. 2. l. 27. pr. ff. h. t.*

7. Actio conducti est personalis bonæ fidei, competens conductori adversus locatorem, heredi & in heredem, ad id, ut commodus rei conductæ usus vel operæ præstentur; aut alioquin id quod interest. *l. 15 §. 1. l. 19. §. 2. l. 25. §. 2. h t.*

8. Nec potest conductor ante tempus locationi præfinitum expelli, nisi male versetur in re conductâ, vel res egeat necessariâ reparatione, vel locator ipse ex novâ causâ re indigeat ad proprios usus. *l. 3. C. h. t.* vel conductor toto biennio non solverit pensionem. *l. 54. §. 1. ff. h. t.*

6. Cæterum heres locatoris & conductoris tenetur stare locationi & conductioni per defunctum factæ. §. *ult. h. t. l. 10. 11. C. h. t.* (excepto casu *l. 4 ff. h. t.*) at non particularis successor locatoris, veluti emtor, legatarius, donatarius, quippe qui conductorem impune possunt ante tempus expellere, si non aliud actum sit. *l. 9. C. h. t. l. 59. §. 1. ff. de usufru-*

ctu. ficut & proprietarius poft mortem fructuarii, *fi* is rem elocaffet ultra ufusfructus durationem. *l. 9. §. 1. ff. h. t.*

10. Locationi & emtioni adeo fimilis fuit emphyteufis, ut inter veteres difputatum fuerit, utrum ad emtionem, an vero ad locationem referri deberet: fed cum in variis diftinctam ab emtione & locatione haberet naturam, Zeno Imperator feparatum hunc voluit contractum effe. §. 3. *h. t. l. 1. C. de jure emphyteutico.*

11. Eft autem emphyteufis contractus juris gentium, bonæ fidei, nominatus, confenfu conftans (de his enim omnibus inter veteres nulla dubitatio fuit, dum omnes vel ad emtionem, vel ad locationem, Jtifce terminis conftantem, emphyteufin reducebant) quo prædium alicui fruendum conceditur in perpetuum, vel ad tempus non modicum, fub lege meliorationis & præftationis annui canonis. §. 3. *h. t.*

12. Canon eft annua præftatio in recognitionem dominii directi, non proportionata fructibus rei emphyteuticariæ. Unde nec remiffio canonis peti poteft ob infolitam fterilitatem, aut ob aliud particulare damnum; quippe quod emphyteutam gravat: ficut totius rei interitus ad dominum pertinet. §. 3. *in fine h. t. l. 1. C. de jure emphyt.*

13. Ex contractu emphyteufios nafcitur actio emphyteuticaria, fimilis in plerifque actioni locati conducti.

14. Accipitur vero emphyteufis non tantum pro contractu, jam definito, fed & pro ipsâ re in emphyteufin datâ, vel pro jure emphyteutico jam conftituto: ac tunc dividitur in fecularem & ecclefiafticam.

15. Secularis eft, quæ in rebus fæcularibus eft conftituta.

16. Ecclefiaftica, quæ conftituta eft in rebus ecclefiafticis.

Eft

Est & alia temporalis, quæ ad tempus non modicum conceditur; alia perpetua, quæ in perpetuum datur.

17. Variis porro modis extinguitur hoc jus emphyteuticum, puta I. Lapso tempore ad quod emphyteusis concessa est. II. Deficiente generatione, cui concessa: quâ ratione olim ecclesiastica emphyteusis tantum alicui pro se & filiis & nepotibus, seu usque ad tertiam generationem dari poterat, sed jure novo in perpetuum. *nov.* 7. *cap.* 3. junct. *novell.* 120. *cap.* 6. §. 1. III. Totali interitu rei emphyteuticariæ, non partiali. §. 3. *in fine h. t. l.* 1. *C. h. t.* IV. Si emphyteuta suam emphyteusin alteri vendiderit, non factâ domino directo denunciatione, ut dominus ex jure protimesios vel eodem pretio possit rem sibi emtam habere, vel alioquin quinquagesimam percipere pretii partem, quæ *laudimium* dici solet. *l. ult. C. de jure emphyt.* V. Si toto triennio moram fecerit in solvendo canone in emphyteusi seculari. *l.* 2. *C. de jure emphyt.* aut toto biennio in ecclesiasticâ. *nov.* 7. *c.* 3. §. 2. VI. Si emphyteuta rem dolo aut summâ negligentiâ corrumpat. *auth. qui rem C. de sacros. eccles.*

TIT. XXVI.

De societate.

1. Societas est contractus bonæ fidei, consensu constans, super re honestâ, de lucri & damni communione. Rei turpis nulla societas est. *l.* 53. *& seqq. l.* 57. *ff. h. t.* Nec cum societate confundenda communio; quippe quæ etiam sine contractu societatis esse potest, dum pluribus simul res eadem donata vel legata est. *l.* 31. *l.* 32. *ff. h. t.*

2. Societas I. vel publica est, qualis est societas vectiga-

ctigalium: vel privata, quæ de rebus privatorum initur *l.* 59. *ff. h. t.*

3. II. Vel expreſſa eſt, quæ conſenſu expreſſo initur: vel tacita, quæ ipſo facto contrahitur, ſeu ex facto colligitur ac præſumitur. *l.* 4. *ff. h. t.*

4. III. Vel univerſalis eſt totorum bonorum, vel particularis. *pr. h. t.*

5. Univerſalis totorum bonorum ſocietas dicitur, in quam veniunt omnia mobilia, immobilia, incorporalia, præſentia & futura, hereditates, legata, donationes, omne denique lucrum & omne damnum alterutri ſociorum obveniens. *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 73. *ff. h. t.*

6. Particularis eſt, in quam ea ſola veniunt, quæ ſocietatis intuitu acquiruntur induſtriâ & labore ſociorum. *l.* 7. 8. *ff. h. t.* ſive ſimpliciter ineatur ſocietas. *d. l.* 7. *ff. h. t.* ſive de re certâ, vel certa univerſitate aut negotiatione. *l.* 52. §. 4. *ff. h. t. pr. h. t.*

7. Verſatur ſocietas circa lucrum & damnum, quod unicuique ſociorum cedit pro eâ parte, quam quiſque contulit in ſocietatem, ſi non aliud nominatim actum ſit. § 1. 2. *h. t.* dummodo in paciſcendo evitetur *leonina ſocietas*, qua id agitur, ut alter ſolus omne lucrum, alter omne damnum ferat, adeoque nulla vel lucri, vel damni communio ſit. *l.* 29. §. 2. *ff. h. t.* Valet ergo inter ſocios conventio, ut unus duas lucri partes, & unam damni ferat; vel, ut ferat partem dimidiam lucri, de damno non teneatur; quo tamen caſu nihil in lucro eſſe intelligitur, niſi quod ſupereſt, penſato omni damno. §. 1. 2. *h. t.* Sed & recte id agitur, ut unus operam conferat, alter pecuniam, lucrum & damnum commune ſit; quia ſæpe opera alicujus pro pecuniâ valet. §. 2. *h. t.*

8. Si vel ſolius lucri vel ſolius damni pars expreſſa ſit, in eo quoque quod omiſſum eſt, pars eadem ſervari debet. §. 3. *h. t.* Fi-

9. Finitur societas I. Renunciatione etiam altero socio invito factâ. §. 4 *h.t.* quia communio discordiarum & negligentiæ mater est. *l.* 77. §. 20. *ff. de legat.* 2. ut proinde nec quisquam invitus in eâ retinendus sit *l. ult. C. communi divid.* Dummodo renunciatio per unum facta neque callida neque intempestiva fuerit. Nam si quis callide renunciaverit in id, ut ipse solus lucrum retineat, quod sibi obventurum sperat, aut ut socius alter solus damnum sustineat, quod ipsi imminet, omne illud lucrum aut damnum, propter quod renunciatum est, perinde communicare & ferre debet, ac si renunciatio facta non esset, in cæteris sive lucris, sive damnis alterutri obvenientibus societas dissoluta est, §. 4. *h. t.* Et si, cum in tempus certum esset coita societas, sociorum alter ante tempus renunciet societati, socium a se, non se a socio liberat: unde si quid compendii ab altero socio factum sit, ejus partem renuncians non fert; at si dispendium, æque præstat portionem, ac si renunciatum non esset. *l.* 65. §. 6. *ff. h. t.* junct. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* nisi justa subsit maturius renunciandi causa, veluti, si socius alter non pareat conditionibus societati adjectis, aut rixosus atque damnosus sit, aut renuncians reipublicæ causâ abesse debeat. *l.* 14 15. 16. *l.* 65. §. 9. *ff. pro socio.* II. Finitur societas morte unius socii. etiam inter reliquos superstites, nisi id actum fuerit, ut non obstante morte unius socii inter reliquos adhuc maneret societas §. 5. *h. t.* vel nisi sit societas vectigalium. *l.* 59. *ff. h. t.* Non tamen ab initio conveniri potest, ut uno socio moriente heres ejus socius fit. *l.* 35. *ff. h. t.* quia in societate industria aut qualitas personæ eligitur, quæ non transit ad heredes. Sed post mortem socii heres ejus novâ sociorum reliquorum voluntate in societatem adsciscì potest, si eum putent idoneum esse. *l.* 37. *ff. h. t.* & si adscitus non sit, tamen successor est emolumenti, quod ex

ante

ante gesto pendet; in eoque æque, ac socius ipse; dolum & culpam præstare debet. *l.* 35. *l.* 36. *l.* 40. *l.* 65. §. 9. *ff. h. t.* III. Finito negotio, in quo societas contracta fuerat. §. 6. *h. t.* IV. Publicatione bonorum, & bonorum cessione. §. 7. 8. *h. t.* si modo socius bonis cedens aut publicationem patiens rem contulerit; secus, si operas; quippe quæ non minus post, quam ante cessionem, aut publicationem, præstari possunt, nec materia societatis sublata est.

10. Ex societate nascitur actio pro socio, utrimque directa, personalis, bonæ fidei, competens socio contra socium, ad id, ut is lucra pro ratâ communicet, impensas restituat, damna reparet, id quod specialiter in se recepit impleat, ac denique dolum, latam & levem culpam præstet, quia utriusque hic vertitur utilitas. §. *ult. h. t. l.* 52. §. 2. 3. 10. *l.* 67. §. 2. *ff. h. t.* Plane damnum culpâ levissimâ unius socii aut casu contingens commune est. *l.* 52. §. 3. 4. *ff. h. t.* Neque hic summæ diligentiæ cum summa negligentiâ compensatio est, si in nonnullis negligentissimus, in plerisque diligentissimus fuerit socius, sed ex negligentia socio tenetur. *l.* 25. 26. *ff. h. t.*

TIT. XXVII.

De mandato.

1. Mandatum est contractus bonæ fidei consensu constans, quo negotium honestum alteri id suscipienti gratis gerendum committitur. §. 7. 10. *ult. h. t.* Mercede etenim interveniente, locatio magis est. §. *ult. h. t.* Ut tamen honorarium in mandato intervenire possit. *l.* 6. *ff. h. t.* licet non actione mandati, sed extra ordinem petatur, si certum promissum sit. *l.* 7. *ff. h. t.* salarium namque in-

incertæ pollicitationis neque extra ordinem recte petitur, neque judicio mandati, ut salarium constituatur. *l. 56. §. 3. ff. h. t. l. 17. C. h. t.*

2. Mandatum I. Vel expressum est, quod expresso consensu interponitur & suscipitur: vel tacitum, quoties præsentis & scientis nec contradicentis negotia ab alio geruntur. *l. 18. ff. h. t. §. 1. Inst. de iis per quos agere poss.* Ut tamen nudum silentium ex parte ejus, cui mandatur, non contineat mandati susceptionem, sed consensus vel verbis, vel rebus ipsis & factis, veluti implemento negotii mandati, debeat declaratus esse. *l. 8. § 1. ff. de procurat.* arg. §. 4. *Inst. de inutil. stipul.*

3. II. Vel generale est, vel speciale; unde & procurator alius specialis est, alius generalis.

4 Specialis est, qui ad certam causam vel actum expediendum datus est.

5. Generalis, cui omnia negotia gerenda sunt demandata.

6. Et hic iterum vel *cum liberâ administratione* datur; qualis omnia fere potest quæ dominus: vel *sine libera*, qui non tam laxam habet in adminstrando potestatem. *l. 58. 60. 63. ff. de procurat.* §. 43. *Inst. de rer. divis. l. 60. §. ult. ff. h. t.*

7. III. Ratione finis mandatum sex modis contrahi potest; puta, vel gratiâ mandantis, vel gratiâ mandantis & mandatarii; vel alienâ gratiâ; vel mandantis & alienâ gratiâ; vel mandatarii & alienâ gratiâ, quod exemplis docetur in § 1. 2. 3. 4. 5. *h. t.* vel denique mandantis, mandatarii & alienâ gratiâ; veluti, si tutor mandet contutori suo, ut is servum emat pupillo necessarium. *l. 8. §. 4. ff. h. t.*

8. Solius mandatarii gratiâ mandatum non contrahitur, quippe quod consilium magis esset, quam mandatum, & ob id obligatorium non est; cum consilii non fraudulenti nulla obligatio sit. §. *6. h. t. l. 47. ff. de reg. juris.* Si tamen consilium fraudulentum fue-

fuerit, de dolo actio est. *d. l. 47. ff. de reg. iur.* Sicut & mandati actio ex consilio est, si quis consuluerit, ut certæ personæ crederetur. *d. §. 6. in fine h. t. l. 6. §. 5. ff. h. t.*

9. Versatur mandatum circa negotia honesta: mandatum namque rei turpis, veluti furti aut injuriæ faciendæ, obligatorium non est. §. 7. *h. t.* scilicet inter mandantem & mandatarium, quatenus mandans mandatarium cogere non potest actione mandati directâ, ut impleat mandatum contra bonos mores susceptum, aut præstet id quod interest; & vice versâ mandatarius actione contrariâ repetere nequit id, quod pœnæ nomine propter mandati turpis exsecutionem solvit. *d. §. 7. h. t.* Tertii tamen intuitu, qui ex rei turpis mandato læditur, mandatum est obligatorium tanquam delictum; adeo ut, si mandato meo facta sit alicui injuria, placuerit, tam me, qui mandavi, quam eum qui suscepit, injuriarum teneri. *l. 11. §. 3. ff. de injuriis.* & mandator cædis æque ac mandatarius pro homicida habeatur. *l. 15. ff. ad leg. Corn. de sicar.*

10. Ex mandato nascitur actio mandati directa & contraria.

11. Directa mandati actio est personalis bonæ fidei, competens mandanti, adversus mandatarium, ad id, ut exsequatur mandatum juxta præscriptum modum, aut alias præstet id quod interest: insuper, ut reddat rationes administrationis, ac restituat quod penes eum ex administratione residet, dolum denique & omnem culpam præstet. §. 8. *h. t. l. 13. & 21. C. h. t.* Estque hoc in mandato singulare, quod culpæ levissimæ præstatio exigitur, licet mandatum solius mandatarii gratiâ non contrahatur; cujus ratio videtur esse, quod mandatarius suscipiendo negotium gerendum suam videtur peritiam profiteri.

12. Directa autem hæc mandati actio tunc competit, cum

cum cœpit interesse ejus qui mandavit; cæterum si nihil interest, cessat mandati actio, & eatenus competit, quatenus interest. *l.* 8. §. 6. *ff. h. t.*

13 Contraria mandati actio est personalis, bonæ fidei, competens mandatario, adversus mandantem, ad id, ut durante mandato necessaria subministrentur. *l.* 12. §. *ult. ff. h. t.* eoque finito restituantur impensæ necessariæ & utiles, una cum usuris, licet utiles esse desierint, vel non extiterit sperata utilitas. *l.* 1. *l.* 4. *C. h. t.* arg. *l.* 10. §. 1. *ff. de negot. gestis.* vel etiam ipse mandans parcius fuisset impensurus. *l.* 27. §. 4. *ff. h. t.* Damnum præterea resarciatur, quod mandatarius in rebus propriis occasione mandati passus est, si modo id non casu, sed aliquâ mandantis culpâ contigerit. *l.* 61. § 5. *ff. de furtis.* junct *l.* 26. §. 6. 7. *ff. h. t.*

14. Non tamen locus est actioni contrariæ, si mandatarius excesserit fines mandati, veluti, si rem emerit centum & viginti aureis, cum ei, ut centum aureis emeret, mandatum esset; sic ut centum quidem ex benigniore sententiâ repetere possit mandati actione. §. 8. *h. t.* ad reliqua vero viginti neque mandati neque negotiorum gestorum actio sit. *l.* 40. *ff. h. t.* quanquam nec invitus cogi potest, ut centum receptis, rem centum & viginti aureis emtam mandanti præstet. Plane si minoris emerit rem, quam mandatum erat, non intelligitur fines mandati excessisse. §. 8. *h. t.* sicut nec, si pluris vendiderit, quam mandato expressum erat; cum pro variâ contrahentium intentione aliquando majori summæ minor insit, aliquando minori major.

15. Finitur mandatum. I. Revocatione mandantis, & mandatarii renunciatione; utrobique tamen re adhuc integrâ, id est, cum necdum adversarii cœpisset interesse. §. 9. & 11. *h. t.* Re non integrâ, revocans aut renuncians tenetur adversario ad id quod interest, nisi justa causa subsit etiam intempestive renunciandi. *d.* §. 11. *h. t.* veluti adversa valetudo, capitales inimi-

citiæ &c. *l.* 23. *& seqq. ff. h. t.* II. Morte mandantis §. 10. *h. t.* nisi id mandatum sit, quod demum post mortem mandantis impleri potest *l.* 12. §. *ult. l.* 13. *ff. h. t.* vel mandatarius, ignorans mortem mandantis, perfecerit negotium bonâ fide. §. 10. *h. t.* vel actio mandata sit. *l.* 1. *C. de oblig & act.* vel tale quid, ad quod mandans jam ante erat obligatus, veluti, ut tradatur possessio, & heredes eam traditionem non prohibuerint. *l.* 33 *ff. de acquir. vel amitt. possess.* vel mandatum institori sit datum, nec per heredes revocatum. *l.* 17. §. 2. 3. *ff. de instit. act.* vel ad mandatum secuta sit stipulatio. *l. ult. ff. de solution.* III. Morte mandatarii §. 10 *h t.* cum industria personæ in mandatario electa ad heredes non transeat.

TIT. XXVIII.

De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur.

1. Quasi contractus est præsumta conventio, ex quâ mediante facto, valida nascitur obligatio. Vera enim conventio in quasi contractibus nulla est, nec in iis consensus requiritur, sed magis ex re ipsa obligatio descendit; unde & furiosi ac pupilli ex plerisque quasi contractibus obligantur sine curatore vel tutoris autoritate. *l.* 46. *ff de oblig. & act.*

2. Quasi contractus præcipui sunt quinque, puta, negotiorum gestio, tutelæ administratio, gestio occasione communionis seu administratio rerum communium, hereditatis aditio, & indebiti solutio.

3. Negotiorum gestio est quasi contractus, quo quis absentis vel ignorantis negotia sine mandato gerit. §. 1. *h. t. l.* 41. *ff. de negot. gestis.*

4. Hinc nascitur actio negotiorum gestorum directa & contraria.

5. Directa est actio personalis bonæ fidei, competens do-

domino cujus negotia gesta sunt, adversus gestorem, ad id, ut reddat rationem administrationis, restituat quod ad ipsum ex administratione pervenit aut pervenire potuit, ac præstet dolum & omnem culpam. §. 1. *h. t. l.* 23. *ff. de reg. jur. l.* 2. *ff. de negot. gest.* Licet enim plerumque nulla gerentis, sed ipsius domini vertatur utilitas, tamen ad culpam levissimam præstandam gestor obstrictus est, quia sponte sese negotiis alienis gerendis obtulit. arg. *l.* 1. §. 35. *ff. depositi.* nisi accesserit ad negotia amici alias peritura, quo casu solum dolum præstat. *l.* 3. §. 9. *ff. de negot. gestis.* plane de casu fortuito non tenetur. *d. l.* 23. *in fine ff. de reg. jur.* nisi gesserit insolita; quo tamen casu omnis lucri & damni in insolitis evenientis compensatio fit, ac deinceps demum inspicitur, quantum damni casu datum sit. *l.* 11. *ff. de negot. gest.*

6. Contraria negotiorum gestorum actio est personalis, competens negotiorum gestori, contra dominum, ne officium ipsi domnosum sit, ad id, ut necessarias & utiles impensas recuperet, una cum usuris, quas ipse præstitit nomine pecuniæ impensæ ab alio mutuo acceptæ, quasve ex propriâ pecuniâ, quam erogavit, potuisset, percipere. *l.* 19. §. 4. *ff. de negot. gest.* licet impensæ, ab initio utiliter factæ, nunc nullam domino præbeant utilitatem. *l.* 10. §. 1. *ff. de negot. gest.*

7. Cessat tamen actio contraria, si quis inviti & prohibentis negotia gesserit. *l. ult. C. de negot. gestis.* aut pietatis intuitu, sine animo repetendi, sumtus fecerit. *l.* 34. *l.* 44. *ff. de negot. gestis. l.* 1. 11. 13. *C. eod. tit.* Et si gestor ultra rei utilitatem quid impenderit, eatenus tantum repetit, quatenus erogare debuerat. *l.* 10. § 1. *ff. de negot. gestis.* sicut &, si proprii commodi causâ gesserit, non ultra repetit, quam quatenus dominus locupletior inde factus est. *l.* 6. §. 3. *ff. de negot. gest.*

8. De tutelæ administratione, & inde natâ actione

tutelæ directâ & contrariâ, dictum in *tit. de Attiliano tutore.*

9. Ipsa rerum communio quasi contractus non est, sed demum, si inter aliquos res sine societate communis sit, & alter alteri ideo teneatur, quod solus fructus ex eâ re perceperit, aut solus in eâ damnum dederit, aut quod socius ejus solus in eam rem necessarias impensas fecerit. §. 3. *h. t.* Quali facto circa res communes deficiente, actio communi dividundo & familiæ erciscundæ non nascuntur ex quasi contractu, sed potius ex jure in re, quod quisque sociorum aut coheredum in re communi habet. Unde & hæ duæ actiones mixtæ dicuntur in §. 23. *Inst. de action.*

10. Actio communi dividundo est actio bonæ fidei; duplex (id est, talis in quâ uterque litigantium simul actoris & rei partes obtinet. *l.* 10. *ff. finium regund.*) mixta (id est partim in rem & partim in personam; primario tamen in rem, & secundario quantum ad præstationes personales in personam. *l.* 22. §. 4. *ff. famil. ercisc.* arg. §. 3. *h. t.*) competens illis, qui rem titulo plerumque particulari communem habent, ad eam rem dividendam & præstationes personales. *d.* §. 3. *h. t. l.* 1. *l.* 3. *ff. communi divid.*

11. In actione familiæ erciscundæ per *familiam* denotatur *hereditas*, & *erciscere* priscis fuit *dividere.*

12. Actio ergo familiæ erciscundæ est actio bonæ fidei, duplex, mixta. *d. l.* 10. *ff. fin. regund. d.* §. 20. *Inst. de action.* competens coheredi adversus coheredem, ad dividendam hereditatem & præstationes personales. *l.* 1. *l.* 22. §. 4. *ff. famil. ercisc.* non tamen ad dividenda nomina hereditaria, quippe quæ ipso jure inter coheredes ex lege 12. tabularum divisa sunt. *l.* 6. *C. famil. ercis.* licet aliquando singula singulis integra adjudicentur. *l.* 2. §. *ult. l.* 3. *ff. famil. ercisc.*

13. Heres adeundo hereditatem creditoribus defuncti & legatariis incipit obligatus esse, alio tamen atque alio modo. Etenim creditoribus quidem, quibus ipse de-

defunctus obstrictus fuerat, heres defunctum repræsentans tenetur ex iisdem causis iisdemque actionibus, quibus defunctus ipse, si vixisset, conveniendus fuisset. At cum defunctus nunquam ipse legatariis ad legata præstanda devinctus fuerit, etiam heres ex ejus capite non potuit obligatus videri: sed quia heres adeundo hereditatem, sibi voluntate defuncti delatam, judicium ejus comprobavit in uno, etiam in legatis & fideicommissis ab eo relictis comprobasse intelligitur, atque ita adeundo ad illa præstanda sese voluisse obligare. §. 5. *h. t.*

14. Ex hâc vero aditione hereditatis nascitur actio ex testamento; quæ est actio personalis stricti juris ex quasi contractu competens legatariis & fideicommissariis, adversus heredem, ad id, ut legata & fideicommissa præstentur, una cum accessionibus, & usuris ex morâ. § 5. *h. t.* §. 18. 19. 20. *Inst. de legatis. l.* 44. §. 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 34. *ff. de usuris.*

15. De indebiti solutione, & condictione, actum in *tit. quib. mod. re contrah. oblig.*

TIT. XXIX.

Per quas personas nobis obligatio acquiritur.

1. Per quas personas nobis dominium acquiri potest, secundum tradita *lib.* 2. *tit.* 9. per easdem nobis regulariter etiam acquiri potest obligatio. *pr. &* §§. *seqq. h. t.* eo excepto, quod per procuratorem dominium nobis acquiri potest. §. 5. *Inst. per quas person. cuique acquir.* non item regulariter obligatio. *l.* 1. *C. per quas person. nob. acquir.* §. 4. *&* 19. *Inst. de inutil. stipul.*

TIT. XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.

1. Obligationes vel ipſo jure tolluntur, vel ope exceptionis. Et quamvis nihil interſit, utrum quis ipſo jure an ope exceptionis tutus ſit, poſtquam exceptio in judicio oppoſita & admiſſa eſt. *l.* 112. *ff. de reg. juris.* tamen antequam oppoſita & admiſſa fuit, multum intereſt. Qui enim ipſo jure tutus eſt, ſemper poteſt ſolutum errore facti repetere tanquam indebitum. *l.* 1. §. 1. *l.* 7. *ff. de condict. indeb.* At ſolâ tutus exceptione ſolutum ita demum repetere poteſt tanquam indebitum, ſi exceptio in ejus favorem introducta ſit; non item, ſi in odium tertii. *l.* 40. *ff. de condict. indeb.* II. Obligatio, quæ ipſo jure extincta fuit, pacto reſtitui nequit, ne ex pacto actio detur: arg. *l.* 7. §. 4. *ff. de pactis.* junct. *l.* 98. §. 8. *ff. de ſolution.* ſi vero tantum exceptione pacti infirmata ſit, pacto iterum redintegrari poteſt. *l.* 27. §. 2. *ff. de pactis.*

2. Ipſo autem jure multis modis obligatio tollitur, puta compenſatione. § 30. *Inſt. de action.* noxæ deditione. §. 3. *Inſt. de noxal. act.* oblatione, conſignatione, & depoſitione pecuniæ vel alterius rei debitæ recte factâ. *l.* 41. §. 1. *ff. de uſuris. l.* 9. *C. de ſolution.* rei interitu ſine morâ aut culpâ debitoris. *l.* 23. *ff. de verb. oblig. l.* 107. *ff. de ſolution.* confuſione, dum debitor creditori; aut vice versâ, ſuccedit. *l.* 5. *C. de hered. action. l.* 107. *ff. de ſolution.* concurſu duarum cauſarum lucrativarum. §. 6. *Inſt. de legatis.* Præcipue vero ſolutione, acceptilatione, novatione, & contrario conſenſu. *pr. &* §§. *ſeqq. h. t.*

3. Solutio eſt naturalis præſtatio ejus, quod debetur. *pr. h. t.*

4. Solvere poteſt debitor, ſi modo liberam habeat re-

rum

rum suarum administrationem & alienandi facultatem: arg. *l.* 14 §. *ult. ff. de solution* §. *ult. Instit. quib. alien. licet vel non.* vel alius pro eo, sive sciente & jubente, sive ignorante, sive invito. *pr. h. t.* nisi obligatio fuerit ad factum artificiale, in quo certæ personæ æstimatur ac spectatur industria. *l.* 31. *ff. de solution.* idque ad effectum liberationis: nam quod attinet repetitionem ejus, quod alius pro debitore solvit, si quidem is id egerit ex mandato debitoris, actione mandati repetere potest ab eo, quod solvit: si pro eo ignorante, contrariam habet negotiorum gestorum actionem: sin pro invito & prohibente, donasse censetur, nec ullâ actione solutum recuperat. arg. *l. ult. C. de negot. gestis.*

5. Solvi potest creditori, habenti liberam rerum suarum administrationem & obligationis dissolvendæ potestatem arg. §. *ult. Inst. quib. alien. licet vel non.* aut ei, cui creditor solvi jusserit. §. 4. *Inst. de inutil. stipul. l.* 12. *pr.* & §. 1. *ff. de solution.*

6. Solvenda res ipsa, quæ obligatione comprehensa est, eo modo, eâque quantitate aut qualitate, quæ expressa, aut ex mente contrahentium subaudita fuit. Aliud pro alio volenti quidem creditori, at non invito, in solutum dari potest. *pr. h. t. l.* 2. §. 1. *ff. de reb. credit. l.* 9. *C. de rescind. vend. l.* 16. *C. de solution.* nisi sit facti obligatio, in quâ debitori etiam invito id, quod interest, loco facti recte præstatur. *l.* 13. *in fine ff. de re judicat.* vel legata sit res aliena, cujus æstimationem solvendo, heres defungi potest, si a domino redimi nequeat. §. 4. *Inst. de legatis.* vel damnum a servo aut animali alterius alteri datum sit, quatenus pro damni reparatione noxæ deditio fieri potest. *tit. Inst. de noxal. act.* & *tit. si quadrup. pauperiem fec. dic.* vel debitor nummos non habeat, nec aliunde possit invenire; quatenus tunc creditor res debitoris æstimatas in solutum tenetur accipere. *auth. hoc nisi C. de solution.* vel denique res debita petierit

 per

per moram debitoris aut culpam talem, ad quam præstandam ex naturâ negotii vel conventione obstrictus est.

7. Solvendum insuper simul & semel totum debitum; non item per partes; nisi vel creditor in id consentiat; vel ab initio ita convenerit. *l.* 41. §. 1. *ff. de usuris.* vel pars debiti sit liquida, pars illiquida. *l.* 21. *ff. de reb. cred. l.* 8. *ff. si pars hered. pet.* vel plures sint unius debitoris vel unius creditoris heredes; inter quos cum ipso jure obligationes activæ & passivæ divisæ sint, singuli non ultra portionem hereditariam conveniri possunt, aut alios convenire. *l.* 2. *C. de heredit. act.* junct. *l.* 6. *C. famil. ercisc. l.* 2. §. *ult. l.* 3. *l.* 4. *ff. famil. ercisc.* ac denique in casu. *l.* 4. §. 6. *ff. de statu liberis. l.* 4. *C. de collat. fund. patrimon.*

8. Effectus solutionis est, quod liberetur principalis debitor & fidejussores aut constitutores ac pignora pro debito obligata. *pr. h. t. l.* 43. *ff. de solution.* Si tamen mandator vel fidejussor solverit ita, ut mandatori contra principalem debitorem, aut fidejussori contra confidejussores actio cessa vel cedenda sit, debitor non ipso jure, sed ope exceptionis tutus est. *l.* 28. *ff. mandati. l.* 95. §. 10. *ff. de solution.* quia actio magis vendita tunc, quam per solutionem extincta videtur. arg. *l.* 36. *ff. de fidejuss. l.* 76. *ff. de solution.*

9. Acceptilatio est imaginaria solutio. Et fit mediante stipulatione liberatoriâ, veluti, *quod tibi debeo. acceptumne fers? acceptum fero.* §. 1. *h. t.* Cumque accensita inveniatur actibus legitimis. *l.* 77. *ff. de reg. juris.* hinc nec per interpositam personam fieri potest. *l.* 13. §. 10. *ff. de acceptil.* junct. *l.* 123. *ff. de reg. jur.* nec in diem aut sub conditione. *l.* 4. *l.* 5. *ff. de acceptil. d. l.* 77. *ff. de reg. jur.* Quia tamen leges magis liberationi favent, quam obligationi, placuit, acceptilationem vitio aliquo laborantem, adeoque inutilem, valere tanquam pactum utile. *l.* 8. *ff. de acceptil. l.* 27. §. 9. *ff. de pactis.*

10. Per

10. Per acceptilationem autem directo tolli nequit quævis obligatio, sed ea sola quæ verbis constat. §. 1. *h. t.* ut ita verbis dissolvatur, quod verbis contractum est. Mediante tamen stipulatione Aquilianâ omnium rerum obligatio & actio ex quâcunque causâ descendens in stipulatum deduci ac novari potest, ut deinceps per interpositam acceptilationem dissolvatur. §. 2. *h. t.* quo facto una cum principali debito etiam accessoriæ obligationes dirimuntur. arg. *l.* 31. *ff. de novation.* sicuti è converso per acceptilationem fidejussori factam reus quoque principalis liberatur. *l.* 23. §. 7. *ff. de acceptil.*

11. Novatio est prioris obligationis, sive naturalis, sive civilis, in aliam sive naturalem sive civilem transfusio atque translatio. *l.* 1. *ff. de novat.*

12. Novari ergo potest omnis generis obligatio, sive naturalis tantum, sive naturalis & civilis simul; sive re constet, sive verbis, sive consensu, vel etiam ex delicto aut quasi delicto nascatur. *l.* 1. §. 1. *ff. de novat.* §. 2. *h. t.* Nec interest, pura sit obligatio, an in diem vel sub conditione concepta: ut tamen purum quidem debitum, aut in diem certum contractum, statim novari possit; conditionale vero ita demum, si existat conditio, quippe quæ facit, nasci obligationem in novatione prærequisitam. *l.* 5. *l.* 8. §. 1. *l.* 14. §. 1. *ff. de novation.*

13. Nec tantum pure, sed & in diem certum vel sub conditione novatio fieri potest; & pure quidem facta, vel ex die certo, præcedentem obligationem statim tollit; at conditionalis eam demum perimit existente conditione; ea enim si deficiat prior obligatio manet. *d. ll.* §. 3. *h. t.*

14. Licet autem antea novatio ex conjecturis & circumstantiis facta præsumeretur, tamen jure novo non aliter intervenisse creditur, quam si id nominatim actum sit. §. 3. *in fin. h. t. l. ult. C. de novat.* Novare potest regulariter ille demum creditor, cui recte

solvitur. *l.* 10. *ff. de novat.* licet etiam cum illis possit novari debitoribus *l* qui non recte solvunt, veluti cum pupillis autoritate tutorum destitutis. *l.* 1. §. 1. *ff. de novati*

15. Dividitur novatio in novationem in specie & delegationem.

16. Novatio in specie est, quæ fit sine interventu novæ personæ; sic ut nova obligatio inter eosdem consistat, inter quos prior sublata constitit. §. 3. *h. t.*

17. Effectus ejus est, quod non modo prior principalis tollatur obligatio, sed & evanescant accessiones ejus, veluti, fidejussiones, pignora, usurarum cursus, adjecta pœnæ stipulatio. *l.* 15. *l.* 18. *ff. de novat.* mora purgetur. *l* 8. *ff de novat.* & pereant privilegia priori obligationi cohærentia. *l.* 29. *ff. de novat.*

18. Delegatio est novatio, quæ fit interventu novæ personæ, dum quis vice suâ alium creditori suo dat, vel cui jusserit creditor. *l.* 11. *ff. de novat.* Ad quam necesse est, ut & delegans & delegantis debitor ac creditor, cui obligatio nova ex delegatione acquirenda est, consentiant; adeoque, ut inter delegantem & debitorem ejus mandatum intercedat, sicut & inter delegantem ac creditorem ejus; ac tandem inter debitorem delegatum ac creditorem delegantis interponatur stipulatio. *l.* 1. *C. de novat.* *l.* 45. §. *pen. ff. mandati.*

19. Requisita & effectus delegationis iidem fere sunt, qui novationis in specie: etenim delegatione prior, & quidem duplex, tollitur obligatio; una, quæ inter delegantem & debitorem ejus constitit, altera, quæ inter delegantem ac ejus creditorem. Et hoc, licet debitor delegatus solvendo non sit. *l.* 3. *in fine C. de novat.* nisi aliud actum sit. *l.* 45. §. *pen. & ult. ff. mandati.* vel dolus concurrat. arg. *l.* 8. *ff de dolo.*

20. Cæterum novatio & delegatio vel voluntaria est, jam exposita, vel necessaria.

21. No-

21. Novatio necessaria est, quæ fit per litis contestationem & sententiam. *l.* 3. §. 11. *ff. de peculio.*

22. Delegatio necessaria itidem fit per litis contestationem; dum is, cui actionem cessi, litem contestatur cum meo debitore. *l.* 11. §. 1. *ff. de novat.*

23. Per necessariam autem novationem nemo conditionem suam facit deteriorem; sed plerumque meliorem. *l.* 86. *l.* 87. *ff. de reg. juris.* Hinc nec prior obligatio consumitur, nec cursus usurarum per eam sistitur. *l.* 35. *ff. de usuris.* nec pignorum aut fidejussorum obligatio tollitur. arg. *l.* 11. *pr. ff. de pignor. act.* nec privilegia pereunt. *l.* 29. *ff. de novat.*

24. Contrario consensu tolluntur tantum obligationes consensu constantes; & hæ ita demum, si necdum ex alterutro latere implementum secutum sit. §. *ult. h. t.*

25. Plane nudo pacto obligationes jure civili efficaces non ipso jure tolluntur, sed tantum ope exceptionis. *l.* 27. §. 2. *ff. de pactis.* §. 3. *Inst. de except.*

LIBER

LIBER QUARTUS.

TIT. I.

De obligationibus quæ ex delicto nascuntur.

1. Delictum in genere est offensio dicto vel facto illata, quâ quis contra jus læditur dolo culpâve alterius, in speciem contractus aut quasi contractus non cadens.

2. Delicta vel privata sunt, vel extraordinaria, vel popularia, vel publica. *tit. ff. de privatis delict. tit. ff. de extraord. crimin. tit. ff. de popular. act. tit. ff. de publicis judic.*

3. Privata delicta sunt, quæ actione privatâ vindicantur ab eo, ad quem ea res pertinet, sic ut pœna exacta ipsi actori læso applicetur. *l. 7. §. 1. ff. de injuriis.*

4. Horum quatuor sunt species; furtum, rapina, damnum injuriâ datum, & injuria seu contumelia.

5. Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. *§. 1. h. t.*

6. Contrectatio requiritur; & ideo neque cogitatio furti faciendi furem facit. *l. 1. §. 1. ff. de furtis.* neque comminatio verbis aut scripto facta. *l. 52. §. 19 ff. de furtis.* nec si quis tantum furti faciendi gratiâ conclave ingressus sit. *l. 21. §. 7. ff. de furtis.* nec, si depositum inficietur. *l. 67. ff. de furtis.* nec, si æs pro auro pignori detur. *l. 20. ff. de furtis.*

7. Debet & *fraudulosa* esse contrectatio, quia affectus distinguit maleficia, & sine proposito furandi furtum non fit. *§. 7. h. t.* Hinc nec pupillus furtum commit-

mittit, nisi pubertati proximus & doli capax sit. §. *pen. h. t. l.* 111. *ff. de reg. jur.* nec is, qui putat, se permittente domino contrectare. §. 7. *h. t.* Non enim domino volenti atque consentienti furtum fit. *l.* 48. §. 2. *ff. de furtis.* nisi quis servo alieno suaserit, ut is domino suo furtum faceret, servus autem id domino detexerit, atque ita dominus ei permiserit res auferre: tunc enim is, qui suasit, & furti & servi corrupti actione tenetur. §. 8. *h. t.*

8. Insuper *lucri faciendi causâ* contrectationem fieri necesse est, quia, si vel ex lasciviâ, vel injuriandi animo, vel libidinis causâ fiat, aliud delictum est. *l.* 39. *l.* 50. §. *ult. l.* 51. *l.* 53. *ff. de furtis.*

9. Pro diversitate autem rerum furto subductarum, vel simplex furtum est, vel qualificatum, ut DD loquuntur. Qua ratione, si res sacra sit, crimen sacrilegii est; si publica, crimen peculatus; si pecora à pascuis abigantur, abigeatus; si homo liber aut servus alienus, plagium; licet patri propter filium in potestate surreptum etiam furti actio detur. § 9. *h. t. l.* 37. 38. *ff. de furtis.* si res hereditaria ex hereditate jacente subducta, est crimen expilatæ hereditatis. *tit. ff. & C. expilatæ hereditatis.*

10. *Usus* furtum fit, si commodatarius, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratiâ ei data erat; vel si creditor aut depositarius utatur pignore aut re depositâ; modo intelligant seu credant, se invito domino hæc facere. §. 6. 7. *h. t. l.* 54. *ff. de furtis.*

11. *Possessionis* furtum est, si debitor rem, quam creditori pignori dedit, subtrahat. §. 10. *h. t.*

12. Furtum aliud diurnum, aliud nocturnum est. *l.* 4. *ff. ad leg. Aquil. l.* 9. *ff. ad leg. Cornel. de sicar.*

13. Sed & secundo aliud manifestum est, aliud non manifestum.

14. Furtum manifestum dicitur, cum fur deprehenditur

ditur cum re furtivâ, antequam illam eo detulit, quo perferre eo die destinaverat. §. 3. *h. t.*

15. Nec manifestum est, cum fur deprehenditur, postquam rem detulit, quo deferre eo die destinaverat. *d.* §. 3. *h. t.*

16. Furti manifesti pœna est quadruplum ex edicto prætoris; nec manifesti duplum ex lege 12. tabularum. §. 5. *h. t.* Potuit tamen etiam furti nomine criminaliter agi ad pænam corporalem; quo casu actor tenetur in crimen inscribere. *l. ult. ff. de furtis.*

17. Fuit & olim furtum conceptum, oblatum, prohibitum & non exhibitum: ac eo nomine diversæ competebant actiones: sed hæc sublata, nec quisquam privatâ autoritate ingredi potest alienas ædes furti investigandi gratiâ; sed qui scientes rem furtivam recipiunt ac celant, furti nec manifesti tenentur. §. 4. *h. t.*

18. Furti autem tenentur non illi tantum, qui ipsi contrectarunt, sed & qui furti faciendi consilium dederunt, vel scientes furi opem tulerunt, scalas aut ferramenta ad effringendum commodando, aut panno rubro armenta fugando ut alius ea raperet &c. §. 11. *h. t.* Et sufficit, vel opem tulisse, vel consilium dedisse, nec necesse est, ut utrumque concurrat. *l.* 53. §. *ult. ff. de verb. signif.* si modo ad consilium datum, vel opem latam, re ipsâ contrectatio facta sit per eum, cui consilium datum, aut opera præstita est: contrectatione enim tali haud secutâ, consilium dedisse aut opem tulisse non nocet ad producendam furti actionem. *d. l.* 53. §. *ult. in fine ff. de verb. sign.* §. 11. *in fine h. t. l.* 52. §. 19. *ff. de furtis.*

19. Si servus domino, filiusfamilias patri, aut vice versâ, res dolo surripuerint, furti quidem actio inter eos non datur, quia civiliter pro unâ personâ habentur. §. 12. *h. t.* nisi filiusfamilias habuerit peculium castrense vel quasi castrense. *l.* 52. §. 5. 6. *ff. de furtis.* sed nihilominus res ipsa furtiva fit; ac furti tenen-

nentur extranei, qui ope aut consilio hoc furtum juverunt. *d.* §. 12. *h. t.*

20. Cæterum furti actio ad pœnam dupli aut quadrupli dominis competit, & iis quorum interest rem salvam esse, licet domini non sint; imo nec dominis aliter, quam si ipsorum intersit. §. 13. *h. t.* Dummodo agentis intersit I. Ex justâ & honestâ causâ *l.* 11. *ff. de furtis.* unde nec furi nec prædoni furtum passo furti actio datur. *l.* 12. §. 1. *ff. de furtis.* excepto casu *l.* 48. §. 4. *ff. de furtis.* II. Propter damnum illatum, non propter solum lucrum cessans; qua ratione ejus rei, quæ pro herede possidetur, furti actio non est. *l.* 71. §. 1. *ff. de furtis.* III. Ex jure aliquo in re. arg. *l.* 17. §. *ult. ff. de præscript. verbis* unde emtori ante traditionem actio furti non datur ob rem sibi venditam & furto subductam, sed venditori. §. 3. *Inst. de emt. vendit. l.* 14. *l.* 80. *ff. de furtis.* ut tamen hic sub jure in re etiam possessio vel detentio contineatur. arg *d. l.* 17. §. *ult. ff. de præscript. verb.* quo fundamento etiam fulloni, qui vestimenta polienda accepit certâ mercede constitutâ, actio furti competit ob vestes surreptas, si modo fullo solvendo sit. §. 15. *h. t.* Creditori quoque, cui pignus datum, ob illud surreptum actio furti nascitur, sive extraneus sive ipse debitor pignoris furtum fecerit: ita tamen, ut debitore quidem surripiente, creditor quadruplum aut duplum debiti consequatur, ac sibi lucretur; extraneo vero illud subducente, creditori duplum aut quadruplum totius pignoris adjudicandum sit, ex quo deducit quod sibi debetur, ac reliquum debitori reddit. *l.* 15. *l* 87. *ff. de furtis.* Quin & bonæ fidei possessori ex titulo oneroso possidenti, ac furtum passo, furti actio est. *d.* §. 15. *h. t.* Quod si commodatario furtum rei commodatæ factum sit, electio domino commodanti datur, an actione furti contra furem agere velit, an commodati contra commodatarium; ut tamen electâ unâ actione commodans ex pœniten-

tentiâ nequeat ad alteram transire, nisi commodati agere cœperit, cum ignoraret, rem furto subductam esse: & electâ per commodantem actione commodati, deinceps ipsi commodatario actio furti detur. §. 16. *h. t.* Depositario plane, furtum passo rei depositæ, furti actio haud competit, sed magis domino deponenti, quia vel depositarii non interest, si dolo careat; vel si concurrente ejus dolo furtum factum fuerit, non nisi ex turpi causâ ejus interest, quo casu actionem furti denegari, supra dictum est. §. 17. *h. t.* Si tamen levem aut levissimam culpam in se receperit, idem in depositario, quod in commodatario, juris esse videtur.

21. Præter actionem furti etiam condictione furtivâ conveniri possunt fures, eorumque heredes, per dominum rei furto ablatæ, licet rem furtivam non possideant. Sed & rei furtivæ vindicatio domino competit contra furem & quosvis rei furtivæ possessores. De quibus plenius in *tit. de act.* Nec actio furti pœnalis perimit condictionem furtivam aut rei vindicationem, & vice versâ §. *ult. h. t.* Vindicatio tamen consumit condictionem furtivam, uti hæc illam, quia utraque rei persecutoria est.

TIT. II.

De vi bonorum raptorum.

1. Rapina est contrectatio fraudulosa, violenta, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. Adeoque revera furtum est, sed improbius, cum violentiâ conjunctum; cum simplex furtum sine vi fiat.

2. Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest, *l. 2. ff. quod met. caus.* ac secundum DD. vel expulsiva est, cum quis de possessione rei immobilis vi dejicitur:

citur: vel compulsiva, quæ metui illato inest; dum quis metu quid agere compellitur; vel turbativa, dum quis turbatur in quietâ rei possessione, contra quam interdicto *uti possidetis*, aut *utrubi*, uti potest; vel ablativa, quæ in rebus mobilibus locum habet, & ad rapinam spectat.

3. Est & vel publica vis vel privata. Publica est, quæ fit cum armis. Privata, quæ fit sine armis. §. 6. *Inst. de interdict.* Ac quamvis inter vim publicam & privatam multum intersit quantum ad judicia publica ex lege Julia de vi publicâ & lege Juliâ de vi privatâ, dum vis publica capitali pœna punitur, non item privata; tamen in rapinâ vis publicæ & privatæ eadem ratio est.

4. Ex rapinâ nascitur actio de vi bonorum raptorum, quæ est personalis, pœnalis mixta, competens ei cujus interest, adversus raptorem, intra annum in quadruplum, post annum in simplum *pr. &* §. 2. *h. t.* ac differt ab actione furti manifesti & nec manifesti; quippe quæ mere pœnalis, & perpetua est, nec prætoria sed civilis si ex furto nec manifesto detur Ut tamen actio furti manifesti & nec manifesti cum hâc de vi bonorum raptorum concurrere possit, & altera intentata alteram consumat quantum ad pœnam, nisi amplius quid sit in eâ, quâ actum non est. *l.* 1. *ff. h. t.*

5. Si quis non dolo, sed errore ductus, (dum putat id sibi per leges licere) rem alteri eripuerit, quam suam esse existimabat; si quidem vere ipsius sit, dominium perdit; sin aliena, rem restituit & amplius æstimationem ejus. §. 1. *h. t.*

TIT. III.

De lege Aquiliâ.

1. Lege Aquiliâ coërcitum fuit damnum, quod committendo seu faciendo, vel committendo & omittendo simul, veluti curationem semel susceptam derelinquendo, datum fuit: non item illud, quod solâ omissione datum. *l.* 13. §. 2. *ff de usufructu.*

2. Legis hujus tria fuerunt olim capita Primo cautum, ut, si quis alienum hominem (id est servum) alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero est, injuriâ occiderit, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. *pr. h. t.* factâ retro anni computatione non a tempore mortis, sed a tempore vulnerationis. *l.* 21. §. 1. *l.* 51 §. 2 *ff. h. t.* Pecudum autem nomine veniunt animalia, quæ gregatim pascuntur sub imperio pastoris, puta, oves, boves, capræ, sues, equi, asini, & muli. §. 1. *h. t.* Cameli & elephanti mixti generis sunt, sed tamen etiam ad primum caput pertinent. *l.* 2. § *ult in fin. ff. h. t.*

3. Alterum caput in desuetudinem abiit. § 12. *h. t.* sed probabile est, actum eo fuisse de moribus servi corruptis.

4. Tertio capite cautum, de homine vel pecude vulneratis, aliis animalibus occisis, & omni cætero damno injuriâ dato, sive quid ustum, sive ruptum, sive fractum, sive scissum sive collisum, sive effusum, sive quoquo alio modo peremtum aut corruptum atque deterius factum sit; ut teneatur reus, quanti res plurimi fuerit in diebus triginta retro computatis. §. 13. 14. 15 *h. t.*

5. Injuriâ damnum tum ex primo tum ex tertio capite datum intelligitur, quoties non jure datum est, sive dolo, sive culpâ latâ, levi, aut levissimâ, vel imperitiâ, imprudentiâ, infirmitate. §. 2. 3. *& seqq h. t.*

Non

Non ergo in legem Aquiliam venit damnum jure datum, veluti, si quis latronem sibi insidiantem occiderit, dummodo periculum aliter evitare non potuerit. §. 2. *h. t. l.* 4. *ff. h. t.* vel si quis furem nocturnum, aut diurnum telo se defendentem, occiderit, cum id clamore significasset, nec furi sine suo periculo parcere potuerit. *l.* 4 §. 1. *ff. h. t. l.* 9 *ff. ad leg. Corn. de sicar.* Sed nec damnum casu datum Unde, si miles jaculis se exercens loco solito, ac tempore solito, servum alterius transeuntem occiderit, hâc lege non tenetur; secus si non miles hoc fecerit, vel miles alio tempore aut loco, quam qui ad exercitandum destinatus erat, vel denique consulto adeoque dolo malo in servum alterius transeuntem collimaverit. §. 4. *h. t.* Putator quoque, si vel in medio, vel prope viam publicam aut vicinalem post maturam proclamationem ramo dejecto animal alterius occiderit, ex hâc lege reus non est; secus si prope viam dejiciens non proclamaverit, aut consulto ramum in prætereuntem dejecerit. §. 5. *h. t.* Sed &, si Medicus artis suæ præcepta secutus sit, non præstat servi vel animalis mortalitatem: secus, si vel curationem semel rite cœptam dereliquerit, aut male secuerit, aut perperam dederit medicamentum. §. 6. 7. *h. t.* Idemque est, si propter imperitiam aut infirmitatem mulionis aut agasonis, impetum mularum aut equorum non retinentis, servus oppressus sit. §. 8. *h. t.* Eo quod in hisce aliisque similibus, nemo affectare debet id, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam aut imperitiam alii damnosam fore. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.*

6. Cæterum propter hujusmodi damna competit actio ex lege Aquiliâ, eaque vel directa, competens ex verbis legis soli domino ob damnum corpore & in corpus datum; vel utilis, competens ex interpretatione prudentum domino ob damnum non corpore sed in corpus datum, (dum quis servum

alienum inclusit, & is fame extinctus est, vel ei suasit, ut arborem conscenderet, & is decidens crus aut cervicem confregerit.) § *ult. h. t. l. 7. §. 6. ff. h. t.* uti & non domino cujus interest, puta fructuario & bonæ fidei possessori, licet tunc corpore & in corpus damnum datum sit; non item commodatario. *l. 11.* §. 8. 9. 10. *ff h. t.*

7. Quod si nec corpore, nec in corpus damnum datum sit, & tamen nocitum, dum quis servum alterius compeditum solvit, & is fugit, prætoria subsidiaria in factum actio est. *d. §. ult. in fine h. t.*

8. Commune autem hisce actionibus est, quod in his rei æstimatio facienda sit ex communi hominum opinione, non peculiari affectione. *l. 33. ff. h. t.* quodque heredibus quidem competant, at non in heredes, quia pœnales sunt, quatenus agens propter servum occisum, qui hoc anno jam per alium eluscatus aut mutilatus fuerat, non servi mutilati sed integri æstimationem consequitur, licet ab alio jam ante mutilationis æstimationem adeptus sit. § *9. h. t.* denique quod his actionibus actor non tantum æstimationem secundum jam dicta persequi possit, sed & id quod interest, veluti æstimationem hereditatis, in quâ institutus est servus, si occisus sit, antequam jussu domini eam adiret; vel etiam rerum cæterarum depretiationem, dum ex pari mularum aut ex quadrigâ equorum unus occisus est, & ob id reliquorum valor decrevit. §. *10. h. t.* si modo interesse certum sit, non item, si incertum; quâ ratione confractis retibus pisces aut aves, quæ capi forte potuissent, considerandæ non sunt. *l. 29. §. 3. ff. h. t.*

9. Porro cum actione ex capite primo legis Aquiliæ concurrere potest accusatio ex lege Corneliâ de sicariis, quoties dolo, non culpâ, servus alienus occisus est. § *11. h. t.* uti & actio injuriarum, si injuriandi animus appareat. *l. 15. §. 46. ff. de injuriis.* adeo ut alterum judicium ab altero non perimatur, nec accu-

sationi

sationi ex lege Corneliâ præjudicium fiat per motam prius ex lege Aquiliâ actionem. *d.* §. 11. *h. t. l.* 23. §. 9. *ff. h. t.* nec actioni ex lege Aquiliâ per actionem injuriarum. *d. l.* 15. §. 46. *ff. de injuriis.*

TIT. IV.

De injuriis.

1. Uti juris multiplex significatio est *l. pen. & ult. ff. de justit. & jure* ita & injuriæ. *pr. h. t.* Sed hoc loco injuria sumitur pro contumeliâ; & est delictum in contemtum hominis liberi admissum, quo ipsius corpus vel dignitas aut fama læditur dolo malo. Necesse ergo, ut injuriandi animus adsit, cum & hic affectus distinguat maleficia. Unde nec infans aut infantiæ proximus, nec furiosus injuriam facit, sed tantum patitur. *l.* 3. §. 1. 2. *ff h. t.* nec qui per jocum percutit, aut lædit dum certat. *l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* nec qui hominem liberum verberat, dum putat suum servum esse. *d. l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* nec qui, cum servo suo pugnum ducere vellet, in proximo te stantem invitus percussit. *l.* 4. *ff. h. t.* nec præceptor, si in coërcendo discipulo modum excedat. *l.* 5. §. *ult. ff. ad leg. Aquil.*

2. Injuria inferri potest quatuor modis, puta, re, verbis, literis, & consensu. *Re*, si quis pulsatus, verberatus, aut domus ejus vi introita sit, aliisque modis naturâ notis. *verbis*, convicio scilicet aut maledicto. §. 1. *h. t. l.* 15. §. 5. *& seqq. ff. h. t.* aut pudicitiâ sermone attentata. *l.* 15. §. 21. 22. *ff. h. t.* Nec convitiatorem excusat convicii veritas, nisi interfit reipublicæ illud detegi. *l.* 18. *ff. h. t. l.* 5. *C. h. t.* *Literis*, per libellum famosum aut carmen famosum, sive quis ipse composuerit, sive ediderit aut in vulgus sparserit. *l.* 5. §. 9. 10. *l.* 15. §. 27. *ff. h. t. l. unic. C. de famosis libellis.*

3. Inter verba autem & literas velut medii sunt gestus, per quos etiam injuria fit, sicut &, si quis in alterius invidiam veste lugubri utatur aut squallidâ, aut barbam demittat, vel capillos submittat. *l.* 15. §. 27. junct. *l.* 39. *ff. h. t.* vel si quis prætextatam frequenter adsectetur. §. 1. *h. t. l.* 15. §. 22. 23. *ff. h. t.* *Consensu* denique, si quis mandaverit, aut aliter procuraverit, ut alteri mala pugno percuteretur, aut alia fieret injuria. §. *pen. h. t. l.* 11. *pr. &* §. 3. 4. 5. 6. *ff. h. t.*

4. Patitur quis injuriam non tantum per se, sed & per eos, quos in suâ habet potestate, veluti per filiosfamilias, per uxores. §. 2. *h. t.* per sponsas. *l.* 15. §. 24. *ff. h. t.* non tamen uxores per suos maritos, aut sponsæ per suos sponsos: defendi enim uxores a viris, non viros ab uxoribus, æquum est. §. 2. *h. t.* Et hæc ita, si injuriam inferens sciverit, eum, cui injuriam infert, filiumfamilias aut uxorem vel sponsam esse: nam si id ignoraverit, nec patri suo nomine nec marito aut sponso injuriarum actio datur; quia horum intuitu injuriandi animus non est, *l.* 18. §. 4. *ff. h. t.* Quod si sciverit, hunc, cui injuriam facit, esse filiumfamilias aut uxorem, ignoret autem, cujus sit; cuicunque patri aut marito videtur facere voluisse injuriam, & ob id iis quoque tenetur injuriarum actione. *d. l.* 18. §. 5. *ff. h. t.* His consequens est, ex uno facto injurioso illato filiæfamilias, quæ filiofamilias nupta erat, quatuor injuriarum actiones dari posse, dum pater filiæfamilias & suo & filiæ suæ nomine agit, & socer seu mariti filiif pater itidem suo atque filii sui nomine: nec alia aliam consumit. *d.* §. 2. *h. t. l.* 1. §. *ult. ff. h. t.*

5. Licet autem servis ipsis nulla fiat injuria ad id, ut injuriarum agere possent, tamen dominis per servos fit, si quid atrocius in servos commissum sit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit, veluti, si

quis

quis servum alienum atrociter verberaverit: nam si quis servo convicium tantum fecerit, vel pugno eum percusserit, nulla in eum actio domino competit. §. 3. *h. t.* uti nec, si atrociorem injuriam servo non in contumeliam domini fecerit: quo tamen casu ipsi servo facta injuria inulta a prætore relinqui non debet. *l.* 15. §. 35. *ff. h. t.* Si servo pluribus communi injuria facta sit, non pro portione dominii injuriarum actio datur, sed ex singulorum dominorum personâ injuriæ æstimatio fit; quia non servo sed domino injuria illata creditur. §. 4. *h. t.* ut tamen officio judicis domino cuique non in majorem partem, quam pro quâ dominus est, condemnatio fiat. *l.* 15. §. *ult. l.* 16. *ff. h. t.* Si servo fructuario, aut alieno bonâ fide possesso, aut homini libero bonâ fide servienti, injuria fiat, proprietario magis aut ipsi homini libero, quam possessori aut fructuario injuriarum actio datur, nisi doceatur, in possessoris aut fructuarii contemtum injuriam illatam esse. §. 5. 6. *h. t. l.* 15. §. *pen. ff. h. t.*

6. Ex injuriâ nascitur actio injuriarum, eaque duplex, alia prætoria, alia civilis ex lege Corneliâ.

7. Prætoria est ex edicto prætoris, personalis, pœnalis, annalis, competens ei, qui quomodocunque per se vel per alios verbalem aut realem injuriam passus est. §. 7. *b. t. l.* 5. §. 6. *ff. h. t. l.* 5. *C. h. t.*

8. Civilis ex lege Corneliâ est personalis, pœnalis, perpetua, competens ei, qui per se atrociorem injuriam realem passus est, dum pulsatus fuit, aut verberatus, aut domus ejus vi introita. §. 8. *h. t. l.* 5. *pr. & §§. seqq. ff. h. t.* Unde ob talem injuriam filiofamilias illatam ipsi filiofamilias civilis injuriarum actio, patri vero prætoria datur. *l.* 5. §. 6 *ff. h. t.* ut tamen olim publicum ex lege Corneliâ fuisse videatur injuriarum judicium, ad pœnam corporalem. arg. *l.* 7. §. 6. *l.* 37. §. 1. *ff. h. t.*

9. Utraque contra injuriantem, non item contra he-

redes ejus, locum habet. §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. act.* ac tendit ad id, ut præstetur, quanti injuria per actorem æstimata fuerit, vel minoris, si id judici æquum videbitur, pro circumstantiarum diversitate. §. 7. *h. t.* *l.* 17. §. 2. *ff. h. t.* Crescit etenim vel minuitur æstimatio injuriæ vel ex re seu ipso facto atrociore aut minus atroce, vel loco vulneris, veluti, si in oculo quis percussus fuerit; vel ex loco, puta, si cui in foro vel in theatro aut in conspectu prætoris injuria facta sit; vel ex personâ injuriam inferente ac patiente, dum magistratui aut senatori injuria illata ab homine vili & abjecto, vel parenti aut potrono a liberis aut libertis. §. 9. *h. t. l.* 7. §. *ult. l.* 8. *ff. h. t.* vel ex habitu & ornatu, quo quis injuriam patiens indutus fuit. *l.* 4. *C. h. t. l.* 15. §. 15. *ff. h. t.* Quid, quod & ipsa conditio & ministerium servorum, per quos injuriam dominus patitur, circa injuriæ æstimationem diversitatem parit. §. 7. *in fine h. t.*

10. Potest autem injuriarum nomine non tantum civiliter agi, sed & criminaliter, ad pœnam corporalem. §. 10. *h. t. l. ult. ff. h. t.* quandoque capitalem, in casu *l.* 10. *C. de episc. & cleric* & *l. unic. C. de famosis libellis.* sed si civiliter prius actum sit, cessat criminale judicium, & vice versâ; eo quod utroque remedio meram ultionem persequimur. *l.* 6. *in fine ff. h. t.*

11. Cessat injuriarum actio, I. Si injuriam inferens aut patiens moriatur ante litem contestatam. *l.* 13. *l.* §. 14. *ff. h. t* §. 1. *Inst. de perpet. & temp. act.* semel enim lite contestatâ hæc actio etiam ad successores pertinet. *l.* 13. *ff. h. t. l.* 10. §. 2. *ff. si quis caut. in jud. sist. caus. factis non obtemp.* II. Anno elapso, idque respectu prætoriæ, non item civilis actionis injuriarum. *l.* 5. *C. h. t. l.* 17. §. 6. *ff. h. t.* III. Dissimulatione, si quis injuriam passus eam statim ad animum non revocaverit; cum eam postea ex pœnitentiâ non possit recolere. §. *ult. h. t.* IV. Remissione,

ne, postquam ab initio fuerat ad animum revocata: sic ut & remissio per patrem facta noceat filiofam: nisi pater vilis & abjectus, filius honoratus sit. *l.* 17. §. 12. 13. 14. *ff. h. t.* V Satisfactione. *l.* 17. §. 6. *ff. h. t.* VI. Pacto, vel transactione, vel jurejurando interposito. *l.* 11. §. 1. junct. *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.*

TIT. V.

De obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur.

1. Quasi delictum in genere est, quod non ex dolo vel latâ culpâ, sed aliquâ imperitiâ aut imprudentiâ oritur, sic ut aliquid peccatum esse intelligatur; nec in speciem quandam veri delicti cadit, sed delicto proximum est.

2. Quasi delictorum quatuor sunt species, puta, si judex per imperitiam seu imprudentiam male judicaverit; si quid dejectum vel effusum sit ibi, quâ vulgo iter fit; si quid positum vel suspensum sit ibi, qua vulgo iter fit, & si damnum datum sit in navi, stabulo, aut cauponâ per eos, quorum operâ utitur exercitor.

3. Primum quod attinet, si judex per imperitiam vel imprudentiam male judicaverit, litem suam facit, id est, damnum quod male judicando dedit, ipse fert, perinde ac si ipse litem sustinuisset ac male condemnatus esset; adeoque per eum, quem iniquâ suâ læsit sententiâ, conveniri potest actione in factum, ad id, ut præstet, quantum religioni judicantis æquum videbitur *pr. h. t. l. ult. ff. de extraord. cognit. l.* 5. §. 4. *ff. de oblig. &. act.*

4. Solus autem minor judex hâc actione conveniri potest, ac litem suam facit, non item major, qui ex assessoris suggestione jus dicit; nam si ex assessoris imprudentiâ jus aliter dictum sit, quam oportuit, magistratui id non nocet, sed ipsi assessori. *l.* 2. *ff.*

quod quisque juris in alt. statuerit. Sed nec advocatus, qui per imperitiam male consuluit; cum consilii non fraudulenti nulla obligatio sit. *l.* 47. *ff. de reg. juris.* & sibi quisque imputare debeat, quod eum adierit, ejusque consilium secutus sit. arg. §. 6. *Inst. de mandato.*

5. Quod si dolo judex male judicaverit, ex vero delicto obligatur, & hactenus quidem litem quoque suam facit, quod læso ad indemnitatem condemnandus sit. *l. ult. C. de pœna jud qui male jud. l.* 15. §. 1. *ff. de judiciis.* sed tamen insuper aliis pœnis coërcendus est; nam si vel pretio vel promissis corruptus sit in causâ pecuniariâ, dati triplum, promissi duplum restituere compellitur; in causâ criminali exilio & omnium bonorum publicatione plectitur. *auth. novo jure C. de pœna jud. qui male jud.*

6. Alterum de dejectis & effusis requirit, ut dejectum vel effusum sit ibi, quâ vulgo iter fit, sive de die sive de nocte, si modo etiam de nocte soleat illâc iter fieri. *l.* 6. *pr.* &. §. 1. *ff. de his qui effu d. vel dejec.* & sive ex ædibus sive ex navi dejectio facta sit. *l.* 6. §. *ult. ff. eod. tit.*

7. Hinc nascitur actio de dejectis & effusis, personalis prætoria, perpetua, competens ei, qui damnum passus est, contra inhabitantem, sive propriam sive conductam domum, vel etiam gratis, inhabitet. *l.* 1. §. *pen. ff. eod. tit.* ad duplum damni dati §. 1. *h. t.* nisi homo liber occisus sit, quo casu hæc actio popularis & annalis est, ad pœnam quinquaginta aureorum; ut tamen is, cujus peculiariter interest, extraneis præferatur. *l.* 5. §. 5. *ff. eod. tit. de his qui effud. vel deject.* §. 1. *h. t.* vel nisi homo liber per dejectionem vulneratus sit, quo casu læsus agit ad impendia in medicos & chirurgos facta, ac ad æstimationem operarum, quibus læsus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis est factus. §. 1. *h. t.* Cicatricum autem aut deformitatis dolorisve ratio non habetur, quia liberum

berum corpus nullam recipit æstimationem. *l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec.*

8. Nec interest, quantum ad has actiones, utrum ipse inhabitans, an alius dejecerit; cum quasi delictum inhabitantis in eo consistat, quod homines negligentes aut malignos in domum receperit, quorum proinde culpam præstare debet, maxime, cum publice utile sit, sine periculo & metu per plateas commeari. *l. 1. §. 1. & 4. ff. de his qui effud. vel dejec.* Unde si plures unum cœnaculum pro indiviso inhabitent, adversus singulos in solidum actio datur, quia omnium culpa est, aut saltem incertum quis dejecerit: ut tamen unius præstatione cæteri liberentur; præstituri nihilominus pro rata ei, qui solidum solvit, societatis judicio vel utili actione communi dividundo: Sin pro diviso plures inhabitent; is solus conveniendus est, ex cujus parte dejectum, quia solus in culpâ est. *l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. 5. ff. h. t.*

9. Tertium quasi delictum de positis & suspensis requirit itidem, ut quid positum vel suspensum sit ibi qua vulgo iter fit; & quidem ita, ut probabiliter cadere possit; ac cadendo nocere. *l. 5. §. 10. 11. ff. de his qui effud. vel dejec.*

10. Hinc datur actio de positis & suspensis, prætoria, popularis, competens cuivis ex populo, contra inhabitantem, vel eum, qui quid in ædibus poni vel suspendi passus est, ad pœnam decem aureorum. §. 1. *h. t. l. 5. §. 6. 8. ff. d. tit. de his qui effud. vel dejec.*

11. Quod si filiusfamilias seorsim a patre habitet, & ex ipsius cœnaculo quid dejectum aut effusum, vel positum aut suspensum sit, ipse eo nomine ex quasi delicto tenetur, non pater. §. 2. *h. t.* uti &, si filiusfamilias judex litem suam fecerit. *d. §. 2. h. t.*

12. Quartum quasi delictum, consistens in eo, quod damnum datum sit in navi, stabulo vel cauponâ per eos, quorum operâ utitur exercitor, & quod exercitor proinde in culpâ sit, quod hominum negligentium

tium aut malorum operâ usus sit. §. *ult. h. t. l. ult.* §. 4. *ff. nauta caup. stab. ut recept. restit.* requirit I. ut damnum in ipsâ navi, stabulo vel cauponâ datum sit, non extra. *l. ult. pr. ff. nauta caup. stabul. ut recepta restit.* II. ut datum sit damnum per eos, quorum operâ utitur exercitor; non item si per vectores aut viatores. *l. 6. §. 2. 3. ff. eod. tit. l. unic. §. ult. ff. furti adversf. naut. caup. stabul.* III. ut vectores aut viatores non consenserint prædictioni exercitoris, *ut unusquisque vectorum res suas servet, neque damnum se præstiturum. l. ult. pr. ff. naut. caup. stabul. ut recept. restit.*

13. Hisce positis, datur actio in factum prætoria, exercitoria ex quasi delicto, perpetua, competens ei, cui damnum in navi, stabulo vel cauponâ datum est, & ejus heredibus. §. *ult. h. t. l. ult.* §. *ult. ff. naut. caup. stab. ut recept. restit.* contra exercitorem, (id est, eum ad quem quotidianus navis, stabuli aut cauponæ quæstus pertinet) non item in heredes. *d.* §. *ult. h. t.* in duplum damni dati. *d. l. ult.* §. 1. *ff. naut. caup. stab.* si tamen exercitor propriorum servorum operâ usus sit, liberari potest noxæ dando eos, quia in servis suis hactenus ignoscendum ei, ut noxæ dare possit, velut in domestico malo: secus si hominis liberi aut servi alieni ministeria elegerit. *l. unic.* §. 5. *ff. furti adversus nautas &c.*

TIT. VI.

De actionibus.

1. Actio licet aliquando etiam accusationes complectatur, in hoc tamen titulo nihil aliud est, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. *pr. h. t.*

2. Per *jus* denotatur facultas a jure seu lege concessa, secundum quam quisque secum statuit, an & quando

do agere velit; neque enim quisquam invitus agere compellitur. *tit. C. ut nemo invitus agere vel accus. cog. l. 5. §. ult. ff. de doli mali & met. except.* prӕterquam si statum alterius diffamaverit, & ita conveniatur actione ex *l. diffamari 5. C. de ingenuis manum.* ad docenda ea, quӕ jactavit.

3. *Persequendi* verbum hic omnem actionem in rem & in personam continet; quatenus hodie in omnibus judiciis extra ordinem jus dicitur, non modo sublatis formulis, sed & abolito judicum pedaneorum dandorum more; & ita omnes actiones quodammodo extraordinariӕ persecutiones sunt. §. *ult. Inst. de interdictis.* licet antea strictius sumtum *persecutionis* vocabulum distingueretur ab actionibus in personam & petitionibus seu actionibus in rem, ac tantum extraordinarias designaret persecutiones, veluti fideicommissi & similes, quӕ non habebant ordinarii juris executionem. *l.* 178. §. 2. *ff. de verb. signif.*

4. *In judicio*, id est, apud quemcunque judicem sive prӕtorem sive alium in subsidium datum. Quamvis & hic olim interesset inter ea, quӕ *in jure*, & ea quӕ *in judicio* peragebantur, quatenus *in jure* fieri dicebantur ea, quӕ ante litem contestatam apud prӕtorem fiebant, veluti in jus vocatio, libelli editio & alia; *in judicio* vero, quӕ lite contestatâ apud judices pedaneos expediebantur.

5. Additur denique, *quod sibi debetur*, ut distinguatur actio ab accusatiope, quâ non id quod *sibi* debetur, sed vindictam publicam aut pœnam pecuniariam fisco applicandam accusator persequitur. *Debendi* autem verbum tam late hic accipiendum est, ut ad omnem actionem sive in rem sive in personam pertineat. *d. l.* 178. §. *ult. ff. de verb. signif.* Etsi enim per actionem in rem petimus quod nostrum est, tamen & sic debitum persequimur, quatenus nobis possessionis restitutio circa rem nostram ab iniquo possessore debetur; unde & recte quis rem suam sibi restitui stipulatur;

latur. *l.* 82. *ff. de verb. obligat.* Cæterum sufficit, si vel per litis contestationem incipiat deberi, ut includantur actiones populares & actio injuriarum; in quibus ante litem contestatam nullus creditor intelligitur, sed demum post. *l.* 12. *ff. de verb. signif. l.* 28. *ff. de injuriis.*

6. Variæ actionum divisiones sunt, & quasi classes, ad quas actio unaquæque referri potest, & unde actionis cujusque termini generales petuntur.

7. Summa, seu ordine prima actionum divisio est, quod vel in rem sint, vel in personam, vel mixtæ. §. 1. *&* 20 *h. t.*

8. Actiones in rem sunt, quæ nascuntur ex jure in re, & generaliter appellantur vindicationes. §. 1. *&* 15. *h. t.*

9. Actiones in personam sunt, quæ nascuntur ex jure ad rem, seu ex obligatione; adeoque ex contractu vel quasi, maleficio vel quasi, & aliis similibus causarum figuris, puta pactis prætoriis aut legitimis: & generaliter condictiones vocantur. *d.* §. 1. *&* 15. *h. t.*

10. Licet autem regulariter actionibus in rem persequamur quod nostrum est, actionibus vero in personam quod nobis debetur; tamen odio furum jure singulari effectum est, ut domino permittatur rem suam a fure condicere condictione furtivâ: quæ est actio personalis ex delicto, rei persecutoria ex parte actoris, pœnalis ex parte rei, competens ei, qui & furti facti & actionis intentatæ tempore dominus rei ablatæ est, adversus furem & furis heredem, licet nihil ad eos pervenerit, ad id, ut restituatur res furto surrepta, cum fructibus perceptis & percipiendis, ac eo quod interest. §. 14. *h. t. l.* 1. 8. 9. 10. §. 2. *l.* 12. *ff. de condict. furt.*

11. Mixtæ actiones dicuntur, quæ partim ex jure in re, partim ex jure ad rem, seu obligatione, nascuntur. §. 20. *h. t. l.* 22. §. 4. *ff. famil. ercisc.* Ut tamen sem-

semper in hisce mixtis prædominetur vel natura actionis in rem; quod fit in actionibus familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, & petitione hereditatis. arg. *l. 1. ff. finium regund. l. 22. §. 4. ff. famil. ercisc. l. 7. C. de petit. hered.* vel natura actionis in personam; quod evenit in illis, quæ dicuntur actiones in personam, sed in rem scriptæ; qualis est actio quod metus causa, & aliæ similes.

12. De actionibus mixtis familiæ erciscundæ & communi dividundo actum in *tit. de oblig. ex quasi contractu.*

13. Actio finium regundorum itidem est mixta, duplex, stricti juris, competens confini adversus confinem, de spatio quinque pedum, seu turbatis agrorum finibus regundis ac discernendis. *l. 1. l. 4. §. 10. ff. fin. regund. §. pen. Inst. de offic. judicis.*

14. Cum autem jus in re quintuplex sit, puta dominii in specie seu proprietatis, servitutis, possessionis, pignoris, & hereditatis. *l. 3. §. 12. ff. ad exhib.* arg. *l. 7. C. de petit. hered.* ex unaquâque specie juris in re nascuntur actiones in rem. Etenim ex jure proprietatis rei vindicatio, ex jure servitutis actio confessoria & eâ occasione actio negatoria, ex jure possessionis actio Publiciana; ex jure pignoris actio rescissoria alienationis in fraudem creditorum factæ, uti & actio Serviana ac quasi Serviana seu hypothecaria, ac denique ex jure hereditatis petitio hereditatis nascitur, ut ex sequentibus patebit.

15. Rei vindicatio est actio civilis in rem arbitraria, competens iis, qui jure gentium aut jure civili domini sunt. *l. 23. ff. de rei vindicat.* adversus quosvis sive bonæ sive malæ fidei possessores, & detentores. *§. 1. in fin. h. t. l. 9. ff. de rei vind.* & qui juris interpretatione pro possessoribus habentur, dum vel dolo possidere desierunt, vel liti se obtulerunt, quasi possiderent, actore id ignorante. *l. 7. l. 25. 26. 27. §. 3. ff. de rei vind.* junct.

junct. *l.* 157. §. 1. *ff. de reg. jur.* ad id, ut res corporalis, non item incorporalis, restituatur. *d.* §. 1. *h. t. l.* 56. *ff. de rei vind.* una cum accessionibus. *l.* 20. *ff. de rei vind.* & fructibus, adhibita tamen inter bonæ & malæ fidei possessores differentiâ, in *tit. de rerum divisione* expositâ.

16. Actio confessoria est actio in rem, civilis, arbitraria, quâ quis vindicat servitutem sibi vel prædio suo constitutam: adeoque datur ei, cui servitus personalis aut realis, sive rustica sive urbana, constituta est, adversus dominum rei servientis, & quemvis rei servientis possessorem, vel in servitutis quasi possessione turbantem. §. 2. *h. t. l.* 10. §. 1. *ff. servit. vind.* ad id, ut res declaretur servituti obnoxia, præstetur id quod interest, ac caveatur de non turbando in posterum. *l.* 4. §. 2. *l.* 6. §. 6. *l.* 7. *ff. si servic. vindic. l.* 5. §. *ult. ff. si usufr. pet.*

17. Negatoria itidem est actio in rem, civilis, arbitraria, quâ quis vindicat suæ rei libertatem, & negat, alteri servitutem competere: adeoque datur domino rei, contra eum, qui servitutem in illâ usurpare vult; ad id, ut res declaretur libera ab illo onere servitutis, præstetur id quod interest, ac cautio de non turbando in posterum interponatur. §. 2. *h. t. l.* 4. §. 2. *l.* 12. *ff. si servit. vind. l.* 5. §. *ult. ff. si usufr. pet.*

18. Est autem utilis hæc actio negatoria ob id, quod dominus rei, negans, rem suam servire, hoc ipso libertatem suæ rei asserit, atque ita de jure suo seu libertate rei suæ experitur. Cum ex adverso in rebus corporalibus nemo negando jus alteri in re competere, ullum sibi jus in eâ re hoc ipso asserat, nec hoc ipso, quo furem rei alicujus negat dominum esse, sibi jus aliquod in ea adroget, dum illa ad tertium pertinere potest; & ob id in rebus corporalibus actio negatoria prodita non est. *d.* §. 2. *h. t.*

19. In utraque hac actione tum confessoriâ tum negatoria

toria non tantum illi, qui non possident, sed & qui possident, verum in possessione turbantur, agere possunt. *l.* 5. §. *ult. ff. si ususfr. pet.*

20. Potest & utraque hæc actio vel vere confessoria & negatoria esse, vel solâ specie & verborum conceptione; veluti, cum quis negat, jus esse vicino altius tollendi ædes suas; quo ipso vere servitutem vindicat; vel cum ait, jus sibi esse altius tollendi ædes suas, quo ipso ædium suarum asserit libertatem, easque negat servire. *d.* §. 2. *h. t.*

21. Altera actionum divisio est, quod vel civiles sint, vel prætoriæ.

22. Civiles sunt, quæ ex legitimis & civilibus caussis descendunt.

23. Prætoriæ, quas prætor ex suâ jurisdictione comparatas habet. §. 3. *h. t.*

24. Prætoriæ autem aliæ in rem, aliæ in personam sunt.

25. In rem, veluti, Publiciana, rescissoria usucapionis, rescissoria alienationis in fraudem creditorum factæ, Serviana, & quasi Serviana seu hypothecaria.

26. Publiciana actio, ita dicta a Publicio prætore, pro fundamento habet jus possessionis, quod quis ex eo acquirit, quod ipsi res a non domino, quem dominum esse bonâ fide putabat, ex justo titulo tradita est, sic ut eam usucapere possit. Et quamvis postea naturalem rei sic acquisitæ possessionem amittat sine suo facto, antequam usucepisset, non tamen ideo amittit ipsum possessionis jus; non magis, quam dominus, naturalem amittendo rei suæ possessionem, dominium perdit. Ac proinde ex retento hoc jure possessionis prætor ei Publicianam accommodat actionem, &, ut id minus juris civilis fundamentis adversaretur, fingit illum jam usucepisse, ac dominum effectum esse, cum revera necdum usuceperit. §. 4. *h. t.*

17. Est ergo Publiciana actio prætoria, in rem, arbitraria, qua quis rem, cujus possessionem justo titulo ac bonâ fide nactus erat, ac casu amiserat antequam usucepisset, repetit a quovis jure debiliori possidente: in pari enim causâ melior possidentis quam petentis causa foret. §. 4. *h. t. l.* 1. 2. 3. *l.* 9. §. 4. *ff. de Public. in rem act.* eaque non tantum corporalia, sed & incorporalia, ut usufructus & cæteræ servitutes, vindicari possunt. *l.* 11. §. 1. *ff. de Public. in rem act.*

18. Actio rescissoria usucapionis (quæ & aliquando Publiciana dicitur. *l.* 35. *ff. de obl. & act.*) pro fundamento habet jus ficti dominii: cum enim absentia reipublicæ causâ neque ipsi absenti neque alteri deberet damnosa esse. *l.* 140. *ff. de reg. jur.* ac longe minus alteri nocere ea, quæ ne quidem reipublicæ intuitu, sed ex alia causâ contingit, hinc si vel absens ex quacunque causâ usucepisset rem præsentis, vel præsens usucepisset rem absentis Reipublicæ vel etiam studiorum causâ, & dominus usucapionem passus mediante in integrum restitutione rem usucaptam sibi reddi desideraret, prætor finxit rem usucaptam non esse, quæ vere usucapta fuerat, ideoque eam, tanquam adhuc pristini domini propriam, reddi jussit. *l.* 28. *ff. ex quib. caus. majores.* §. 5. *h. t.*

19. Actio itaque rescissoria usucapionis est prætoria, in rem, arbitraria, competens ei, cujus res vere usucapta est, (idque vel ab alio præsente, cum dominus ipse justâ de causâ absens esset, vel ab alio ex quacunque causâ absente, cum ipse dominus præsens vel absens esset, sic ut ob id res ante impletam usucapionem peti non potuerit) adversus eum, qui usucepit, & quosvis rei usucaptæ possessores, ad id, ut rescissâ usucapione res restituatur cum omni causâ. Qualis actio olim intra annum utilem intentanda fuit, jure novo intra quadriennium continuum. §. 5. *h. t. l.* 7.

8. 17.

8. 17. *l.* 26. §. 1. *l.* 28. *l.* 33. §. *ult. l. ult. ff. ex quib. caus. majores* 25. *ann. in integr. restit.* junct. *l. ult. C. de tempor. in integr. restit.* Idemque est, si læsio quidem non contigerit per usucapionem, sed jus agendi, aut aliud simile, extinctum fuerit absenti, quod ei restitui æquum est. *l.* 17. §. 1. *ff. ex quib. caus. maj.*

30 Actio rescissoria alienationis in fraudem creditorum factæ oritur ex jure pignoris prætorii, quod creditores consequuntur ex missione in possessionem bonorum debitoris obærati *l.* 26. *ff. de pignorat. act.* quodque iis semel quæsitum, facto debitoris seu alienatione adimi non potuit, sed magis res cum illo onere pignoris prætorii in quosvis transit possessores, secundum jus commune in pignoribus receptum. arg. *l.* 3. *C. ut in possess. legat. nom.*

31. Proinde actio hæc rescissoria alienationis est in rem, prætoria, arbitraria, annalis, competens creditoribus in possessionem bonorum debitoris missis, in quorum fraudem res a debitore post missionem in possessionem alienatæ sunt, contra quosvis bonâ vel malâ fide possidentes, ad id, ut rescisså alienatione res restituatur. §. 6. *h. t.* arg. *l.* 1. *l.* 10. *ff. quæ in fraud. credit. alien sunt ut rescind.*

32. Huic proxima, & similis in multis est actio Pauliana, quæ pro fundamento non habet jus pignoris prætorii, sed fraudem accipientis rem a debitore in fraudem creditorum alienatam. *l.* 6. §. 8. *l.* 10. *pr.* & §. 18. *ff. quæ in fraud. credit. alien. sunt, ut rescind.* adeoque est prætoria, personalis arg. *l.* 38. *pr.* junct. §. 4. *ff. de usuris. l.* 14. *ff. quæ in fraud. cred. alien.* annalis. *l.* 1. *l.* 10. *ff. eod. tit.* competens creditoribus, in quorum fraudem res a debitore ante vel post missionem in possessionem sunt alienatæ, adversus possessores fraudis participes, (non item fraude carentes, nisi pupilli sint, quorum ignorantia & bona fides per ætatem contingens non debet creditoribus captiosa esse; vel nisi ex causâ lucrativâ rem consecuti sint, dum

melior esse debet in pari causâ condicio creditorum de damno evitando, quam donatariorum de lucro capiendo agentium. *l.* 6. §. 8. 10. 11. *ff. quæ in fraud. credit. alien. sunt ut rescind.*) ad id, ut rescissâ alienatione res restituatur cum omni causâ. *l.* 10. §. 19. 20. 22. *ff eod. tit.*

33. Quæ vero concurrere debeant, ut quis in fraudem creditorum dicatur alienasse, dictum ex parte in *tit quib ex caus. manumitt. non licet.* Quibus adde, non intelligi alienasse in fraudem creditorum, qui nihil de patrimonio diminuit, sed tantum omittit acquirendi conditionem, dum forte legatum repudiat aut hereditatem, aliisque modis. *l.* 6. *pr.* & §§. *seqq. ff. quæ in fraud. credit.*

34. Actionis Servianæ & quasi Servianæ seu hypothecariæ natura ut magis innotescat, sciendum est, invecta & illata per inquilinum in prædium urbanum tacite pro pensionibus ædium ac deterioratione pignori obligata esse: in rusticis prædiis non nisi expressâ conventione illata & invecta obligari, sed fructus tacite pignoris jure teneri. *l.* 4. *l.* 7. *ff in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah.* multis præterea aliis in casibus hypothecam vel expressâ conventione in securitatem debiti constitui, vel ex legis ipsius dispositione datam esse, veluti fisco in bonis administratorum, ac debitorum quibuscum contraxit, & civium pro tributis *l.* 1. *C. de jure fisci. l.* 1. 2. *C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah.* pupillis, minoribus, furiosis, prodigis & similibus in bonis tutorum & curatorum, & vitrici, quem mater tutrix induxit, non petito liberis alio tutore. *l.* 20. *C. de admin. tut. l.* 6. *C. in quib. caus. pign. tac. contrah.* mulieri in bonis mariti pro dote & dotis augmento ac paraphernis. *l.* 29. 30. *C. de jure dot. nov.* 97. *cap.* 2. *l. ult. C. de pact. convent.* legatariis & fideicommissariis in bonis defuncti. *l.* 1. *C. commun. de legatis.* liberis prioris matrimonii in bonis parentis ad secunda vota tran-

seuntis,

seuntis, pro restitutione rerum a priore conjuge vel aliis prioris thori liberis ad ipsum devolutarum, uti & pro bonis maternis. *l. 6. §. ult. C. de bon. quæ liberis. l. 8. §. ult. C. de secund. nupt.* illis, qui crediderunt in domus refectionem.

35. Quod si colonus pensionem non solvat, præter personalem locati actionem etiam comparata est actio Serviana, (ita dicta a Servio prætore) in rem, prætoria, arbitraria, competens domino prædii rustici, contra colonum & quosvis possessores, ad persequendas res coloni in prædium rusticum illatas & expressâ conventione pro pensionibus pignori obligatas. §. 7. *h. t.*

36. Quasi Serviana seu hypothecaria actio est prætoria, in rem, arbitraria, competens creditoribus, quibus vel expresse vel tacite vel legis dispositione res pignori fuerunt obligatæ, contra quosvis bonæ vel malæ fidei possessores, ad avocandam rerum obligatarum possessionem. *d. §. 7. h. t.* Ut tamen jure novo Justiniani ante tertium bonæ fidei possessorem excutiendus sit ipse debitor & fidejussores ejus. *nov. 4. cap. 1.* Et quamvis inter pignus in specie ac hypothecam multum intersit, quatenus pignus est contractus bonæ fidei, *re* constans, quo possessio rei obligatæ transfertur in creditorem; hypotheca vero pactum prætorium, quo possessio remanet apud debitorem seu obligantem; tamen quantum ad actionem hanc hypothecariam attinet, inter pignus & hypothecam nihil interest. *§. 7. h. t.*

37. In personam propositæ actiones prætoriæ vel rei persecutoriæ sunt, veluti actio de constitutâ pecuniâ, actio de peculio, actio in factum ex jurejurando; vel pœnales, veluti actio in factum de albo corrupto, actio in factum de in jus vocando, actio in factum de in jus vocato vi exemto, & aliæ plures.

38. Constitutum est conventio prætoria, (seu pactum a prætore confirmatum) quâ quis sine stipulatione

promittit, se soluturum, quod ipse vel alius debet. Quod quo modo differat a fidejussione, dictum *tit. de fidejussor.* De cætero, uti fidejussio, ita & constitutum requirit debitum principale, cui accedat. *l. 5. §. 1. ff. de pecun. constit. l. 2. C. eod. tit.* sive sit debitum purum, sive conditionale aut in diem conceptum. *l. 3. §. ult. l. 19. ff. de pecun. constit.* sive naturale & civile simul, sive naturale tantum; non item civile tantum. *l. 1. §. 7. l. 3. §. 1. ff. de pecun. constit.* sive denique corporalium sive incorporalium rerum debitum sit. *l. 2. C. de constit. pecun.*

39. Ex constituto nascitur actio de constituta pecuniâ; quæ est prætoria, personalis, competens ei, cui constitutum est, adversus constituentem, ad id, ut præstetur, quod constitutum seu promissum est. *§. 9. h. t.* Si plures idem debitum constituerint, gaudent beneficio divisionis exemplo fidejussorum. *l. ult. C. de constit. pecun.* sicut & beneficium cedendarum actionum ipsis indulgeri, nec non beneficium ordinis si pro alio constituerint, ratio dictat, exemplo itidem fidejussorum.

40. Quid & quotuplex sit peculium servorum ac filiorumfamilias traditum. *libr. 2. tit. 9.* Ut autem locus sit actioni de peculio, qualecunque servi peculium sufficit, sed in filiofamilias omnino profectitium requiritur, quod is adhuc ex jure novo non sibi sed patri ad instar servi acquirit. Necesse insuper, ut obligatio ex contractu aut quasi contractu filiifamilias aut servi descendat. *§. 10. h. t. l. 14. ff. de negot. gestu. l. 7. ff. de tutelis.* non item ex delicto, quippe quo casu vel noxali judicio, vel accusationi ipsius servi locus esset. Utrum autem domino vel patre jubente, an sciente, an ignorante, an invito contraxerit servus aut filiusf. parum refert, quantum ad hanc de peculio actionem; licet jussu posito etiam actio quod jussu dari possit.

41. Actio de peculio est prætoria, personalis, in rem tamen

tamen scripta, competens iis, qui cum filiofamilias aut servo contraxerunt aut quasi contraxerunt, contra patrem vel dominum, & quosvis peculii possessores, ad id, ut præstetur, quod contractu vel quasi contractu comprehensum est, quatenus est in peculio tempore rei judicatæ §. 4. *Inst. quod cum eo qui in alien. potest.* §. 10. *h. t. l.* 27. §. 2. *l.* 30 *ff. de peculio.* in peculio vero esse intelligitur, quod superest deducto eo, quod patri vel domino & illis, quos illi in suâ potestate habent, quorumve negotia gerunt, debetur. *l.* 9. §. 2. *& seqq. ff. de peculio.*

42. Quod si extinctum sit peculium morte, manumissione, vel emancipatione, summo quidem jure actio quoque de peculio evanescit, sed ex æquitate prætor eam adhuc usque ad annum utilem extendit, computandum ex eo tempore, ex quo primum experiundi potestas fuit. *l.* 1. §. 2. *& tot. tit. ff. quando de pecul. act. annalis est.*

43. Jusjurandum est religiosa divini nominis invocatio in testimonium veritatis.

44. Et vel voluntarium est, vel judiciale, vel necessarium; secundum inscriptionem *tit. ff. de jurejur. sive volunt. sive necess. sive judic.*

45. Voluntarium est, quod a parte parti defertur vel refertur extra judicium. *l.* 17. *ff. de jurejur.*

46. Judiciale, quod a parte parti defertur vel refertur in judicio. *l.* 12. *C. de reb. cred. & jurejur.*

47. Necessarium, quod judex in causis dubiis ob defectum probationum, etiam parte adversâ non petente, actori vel reo defert. *l.* 31. *ff. de jurejur.*

48. Ex jurejurando voluntario præstito vel remisso, ut & ex judiciali (non item ex necessario) datur actio in factum, quæ est prætoria, personalis, competens actori, qui deferente vel referente reo juravit, rem suam esse vel sibi deberi; adversus eum, qui illud detulit vel retulit, aut successores ejus, non item contra tertium, ad id, quod jurejurando actoris compre-

prehensum est. §. 11. *h. t. l.* 9. §. *ult. l.* 10. *ff. de jurejur. l.* 8. *C. de reb. cred. & jurejur.* nec hic de perjurio quæritur, utrum nempe vere an falso juratum sit, sed id unum, an sit juratum. *d.* §. 11. *h. t.* quia hoc ipso, quo reus actori jusjurandum defert vel refert, tacite promittit, se soluturum quod petitum est, si actor juraverit; sicut per jurisjurandi præstationem conventionis istius conditio impleatur. arg. *l.* 25. 26. §. *ult. l.* 35. §. 1. *ff. de jurejur.*

49. Actio in factum de albo corrupto est prætoria, personalis, pœnalis, popularis, competens cuivis ex populo, contra eum, qui album prætoris (id est tabulam, quâ prætores edicta solebant proponere) perpetuæ jurisdictionis gratiâ propositum dolo corrupit, ad pœnam quinquaginta, vel, ut alii legunt, quingentorum aureorum. *l.* 7. *ff. de jurisdict.* Si plures corruperint, singuli in solidum tenentur, nec unius præstatione cæteri liberantur. *l.* 8. *ff. de jurisd.* Si quis non habeat in ære, in pelle luit *d. l.* 7. §. 3. Non tamen huic pœnæ locus est, si quis non dolo, sed rusticitate corruperit; uti nec, si album corruperit, quod non perpetuæ jurisdictionis gratiâ, sed prout res incidit, propositum est. *d. l.* 7. *pr.* & §. 4. *ff. de jurisdict.*

50. Actio in factum de in jus vocando est actio prætoria, personalis, pœnalis, competens parenti vel patrono sine veniâ prætoris per filium aut libertum in jus vocato, adversus liberos aut libertos sine veniâ in jus vocantes, ad pœnam quinquaginta aureorum. *l.* 4. §. 1. *l. pen. ff de in jus voc.* §. *ult. Inst. de pœna temere litig.* &, si libertus non habeat in ære, pelle luit *l. ult. ff. de in jus voc.* Sed hæc actio nec heredi, nec in heredem, nec ultra annum datur. *l. pen. ff. de in jus voc.* ac cessat, si parens aut patronus non venerit vocatus, vel venerit non invitus, vel vocantem pœnituerit. *l.* 11. *ff. de in jus voc.*

51. Actio in factum de in jus vocato vi exemto est persona-

sonalis, prætoria, pœnalis, competens actori, qui reum vi exemtum in jus vocaverat, contra vi eximentem, ad id, ut præstetur, quanti ea res est in judicium deducta, licet per calumniam petita. *l.* 4. *l.* 5. *ff. ne quis eum, qui in jus voc. vi eximat.* ac sufficit ad hanc actionem vis, licet dolus desit. *l.* 3 §. *ult. ff. eod. tit.* Si plures vi exemerint in singulos actio in solidum datur, nec unius præstatione cæteri liberantur. *l.* 5. §. *pen. ff. eod. tit.*

52. Et hæc quoque actio regulariter nec heredi, nisi ejus intersit, nec in heredem, nec ultra annum datur. *l.* 5. §. *ult. ff. eod tit.*

53. Actiones præjudiciales sunt, quæ de statu seu conditione alicujus personæ moventur, puta, de libertate vel servitute, ingenuitate vel libertinitate, & de jure familiæ. §. 13. *h. t.* Ita dictæ, quia prius judicandæ seu terminandæ sunt; sic ut, dum hæ tractantur, aliæ civiles ac criminales causæ differendæ sint, ac harum definitio sæpe aliis civilibus & criminalibus judiciis præjudicium faciat, impediatque ne moveri possint. *l.* 26. *C. ad leg. Jul. de adulter. l.* 5. § 8. *ff. de agnosc & alend. lib.* Magisque in rem, quam in personam esse videntur. §. 13. *h. t.* tum quia non agitur ad aliquid dandum, faciendum aut præstandum, sed ad asserendum aut impugnandum seu negandum jus libertatis, ingenuitatis aut familiæ, quod quis sibi competere putat; tum quia quandam quasi proprietatis causam videntur continere arg. *l.* 1. §. 2. *ff. de rei vind. l.* 2 §. 1. *ff de interdictis.*

54. De libertate vel servitute est judicium liberale, civile, quamvis augmentum a prætore acceperit, competens domino contra servum, qui se liberum esse asserit, ac pro libero gerit; & vicissim servo ad libertatem proclamanti, contra dominum, qui proclamantem ad libertatem contendit servum suum esse. §. 13. *h. t. tot. tit ff. & C. de liberali causa.*

55. De libertinitate vel ingenuitate est actio præto-

ria competens patrono contra libertum, qui se libertum ejus negat; & vice versâ ingenuo vel liberto, neganti, se libertum esse ejus, qui jus patronatus sibi asserit. *d.* §. 13. *h. t. tot. tit. ff. si ingenuus esse dic. tot. tit. C. de ingen. manumiss.*

56. De jure familiæ est actio prætoria, competens parenti, contra eum, qui se filium esse falso negat, aut affirmat, ut & filio contra eum, qui se patrem falso negat aut affirmat. *d.* § 13. *h. t. l.* 5. §. 8. *ff. de agnosc. & alend. liberis vel parent.* eoque etiam pertinet judicium de partu agnoscendo. *d.* §. 13. *h. t. l.* 1. §. 1. *& seqq. & tot. tit. ff. de agnosc. & alend. liberis.*

57. Tertia actionum divisio est, quod vel rei persecutoriæ sint, vel pœnales, vel mixtæ. §. 16. *h. t.*

58. Rei persecutoriæ sunt, quibus tantum rem persequimur, seu id, quod patrimonio nostro abest. Quales sunt omnes in rem actiones, & actiones in personam ex contractu vel quasi, exceptâ actione depositi miserabilis, & ea, quâ petitur legatum venerabilibus locis relictum, si reus inficietur. §. 17. *h. t.*

59. Pœnales dicuntur, quibus mera pœna petitur, actori applicanda. Qualis est actio furti manifesti & nec manifesti, injuriarum, &c. §. 18. *h. t.*

60. Mixtæ sunt, quibus partim rem, partim pœnam exigimus. Qualis est actio de vi bonorum raptorum, ex lege Aquiliâ, & plures aliæ. §. 19. *h. t.* Sed & actiones quædam sunt, quæ ex parte quidem actoris rei persecutoriæ sunt, dum is petit id quod suâ interest; ex parte vero rei pœnales; qualis actio in factum adversus eum; cujus dolo factum, quo minus quis in judicio se sistat. *l.* 1. § 4. *l.* 3. *pr. ff. de eo per quem fact. quo minus quis in jud. se sistat.* actio in factum contra mensorem falsum modum renunciantem *l.* 3. §. 1. 2. *ff. si mens. fals. mod. dixerit.* item contra falsos

ſos tutores autoritatem interponentes. *l.* 7. *pr.* & §§. *ſeqq. ff. quod falſo tut. autore geſt. eſſe dic.*

61. Variæ autem inter has actiones differentiæ ſunt. Etenim I. Rei perſecutoriæ plerumque ſunt perpetuæ; pœnales plerumque annales, ſicut & mixtæ quantum ad pœnam. II. Rei perſecutoriæ heredibus & in heredes dantur; pœnales & mixtæ heredibus quidem, ſed non in heredes, niſi quatenus ad eos pervenit, aut niſi lis cum defuncto ſit conteſtata. §. 1. *Inſt. de perpet. & temp. act.* III. Rei perſecutoriæ vel in rem vel in perſonam eſſe poſſunt, pœnales vero & mixtæ omnes in perſonam ſunt. §. 17. *h. t.* IV. Si ex eâdem causâ plures concurrant actiones rei perſecutoriæ, una intentata alteram perimit. *l.* 76. §. 8. *ff. de legat.* 2. *l.* 34. §. *ult. ff. de oblig. & act. l.* 43. §. 1. *ff. de reg. juris.* niſi per eam, quâ nondum actum eſt, aliquanto plus conſequi poſſimus. *l.* 43. 47. *ff. pro ſocio.* Si vero rei perſecutoria concurrat cum mere pœnali, altera alteram non conſumit, veluti actio furti & condictio furtiva vel rei vindicatio. §. *ult. Inſt. de oblig. ex delicto. l.* 7. §. 1. *ff. de condict. furt.* Si rei perſecutoria cum pœnali mixtâ concurrat, altera alteram conſumit quantum ad rem, non quantum ad pœnam. *l.* 7. §. 1. *ff. commodati. l.* 34. §. *ult. ff. de oblig. & act.* Si mere pœnalis concurrat cum mixtà, altera alteram conſumit quantum ad pœnam; non quantum ad rem, ſi prius pœnali actum ſit. *l.* 1. *ff. de vi bon. rapt.* Si duæ pœnales mixtæ concurrant, altera alteram conſumit quantum ad rem, & quantum ad pœnam, quatenus quis pœnam ex minus pingui actione prius motâ jam conſecutus eſt; non item quatenus amplius in alterâ adhuc movendâ continetur. *l.* 1. *ff. arborum furtim caſarum.*

62. Quarto dividuntur actiones, quod aliæ in ſimplum conceptæ ſint, aliæ in duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum. Ultra quadruplum nulla actio extenditur. §. 21. *h. t.* Ut tamen pœnæ conventionales

qua-

quadruplum damnidati excedere possint. arg. *l.* 38. §. 17. *ff. de verb. oblig.* sicut & pœnæ criminum publicorum; ex quibus publicatio bonorum omnium aut partis irrogatur. arg. *l.* 1. *pr. ff. ad leg. Jul. de vi privata.* Plane ex actionibus hisce pleræque quidem statim ab initio duplum aut quadruplum continent, quædam tamen ex suâ naturâ ab initio tantum in simplum sunt, ac ex inficiatione aut contumacia demum crescunt; ex inficiatione in duplum actio legis Aquiliæ, legati venerabilibus locis relicti, depositi miserabilis; ex contumaciâ in quadruplum actio quod metus causa. §. 26. 27. *h. t.*

63. Nec hæc divisio coincidit cum tertiâ; cum ibi quæratur, non quantum, sed quid petatur, an res an pœna: hic vero, quantum petatur, puta, an simplum, an duplum, &c. Unde & actiones in simplum conceptæ non tantum rei persecutoriæ, sed & pœnales aut mixtæ sunt: pœnalis, veluti actio injuriarum, de albo corrupto, de in jus vocando, de in jus vocato vi exemto: pœnales mixtæ, veluti, actio ex lege Aquiliâ, quippe quæ demum ex inficiatione in duplum est.

64. Inter actiones in duplum conceptas numeratur actio de servo corrupto, in anterioribus necdum tractata; quæ est actio prætoria, personalis, pœnalis mixta, competens dominis, aut jus pignoris vel ususfructus, aliudve simile habentibus, eorumque heredibus. *l.* 9. §. 1. *l.* 13. *l.* 14. §. 3. 4. *ff. de servo corrupto.* contra eum, qui mores servi dolo malo corrupit, suadendo vel laudando atque ita augendo servi malitiam; aliisque modis. *l.* 1. §. 3. *l.* 2. *ff. eod. tit.* §. 23. *h. t.* sive corrumpens extraneus sit, sive ipse dominus, aut fructuarius, aut creditor cui servus pignori obligatus fuit. *d. l.* 9. § 1. *d. l.* 14. §. 3. 4. *ff. de servo corrupt.* ad id, ut præstetur duplum damni dati, seu depretiationis servi, & rerum, quas servus fugiendo secum abstulit, aut in quibus damnum

num dedit. *d.* §. 23. *h. t. l.* 10. 11. 14. §. 5. *& seqq. ff. de servo corrupt.*

65. Utilis actio de servo corrupto patri datur ob mores sui filiifamilias dolo malo corruptos, ad id quod interest. *l.* 14. §. 1. *ff de servo corrupto.*

66. In triplum conceptarum actionum species est condictitia contra actores plus petentes, & ita reo nocentes; quæ est personalis, seu condictio ex lege, pœnalis mixta, competens reo, qui per plus petitionem læsus est, dum ampliorem summam ob id sportularum nomine viatoribus seu litium executoribus solvere debuit; adversus actorem plus petentem, ad id, ut præstetur triplum damni dati. §. 24. *h. t.*

67. Inter actiones in quadruplum conceptas, recensetur actio furti manifesti, de vi bonorum raptorum, actio condictitia adversus executores litium plus justo exigentes, actio quod metus causâ, & actio in factum de calumniatoribus; ex quibus prima & secunda in prioribus hujus libri titulis explicationem habent.

68. Actio condictitia contra executores litium est condictio ex lege, competens reo nimiam exactionem passo, contra executores litium plus justo exigentes, ad quadruplum damni dati. §. 25. *h. t.* Cujus quadrupli triplum jure novissimo applicatur fisco, simplum vero læso cedit. *nov.* 124. *cap.* 3.

69. Metus est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio; seu, majoris malitatis timor. *l.* 1. *l.* 5. *ff. quod met. causâ.*

70. Ut locus sit actioni quod metus causâ, requiritur I. ut metus contra bonos mores adeoque injuste illatus sit: nam si magistratus jure licito & jure honoris sui metum fecerit, vel etiam privatus, cessat hæc actio. *l.* 3. *l.* 21. *pr. ff. quod met. causâ.* II. ut justus, id est, satis gravis sit, adeoque talis, qui in virum fortem ac constantem cadit; veluti, mortis aut vulnerum. *l.* 6. *ff. quod. met. caus.* Reverentialis metus

non

non sufficit. arg. *l. 22. ff. de ritu nupt.* nec metus infamiæ. *l. 7. ff. quod metus caus.* nec sola mali suspicio. *l. 9. ff. eod. tit. l. 9. C. eod. tit.* arg. *l. 27. §. 1. ff. locati.*

71. Est autem actio quod metus causâ prætoria, arbitraria, personalis in rem scripta, competens metum passo & ejus heredibus, intra quadriennium continuum; contra eum, qui metum fecit, & quemvis rei per metum amissæ possessorem, ad id, ut res metu amissa restituatur, aut ex contumaciâ quadruplum præstetur. §. 27. *h. t. l. 9. §. 1. l. 14. §. 3. & 5. ff. quod met. caus.* junct. *l. ult. C. de temp. in integr. restitut.*

72. In actione in factum de calumniatoribus ille calumniator dicitur, qui pecuniam accepit, ut, vel ne litem iniquam alteri per calumniam moveret. *l. 1. ff. de calumniat.* Quamvis alioquin in criminalibus calumniator sit ille, qui falsa crimina scienter intendit. *l. 1. §. 1. ff ad Senatusc. Turpill.* in civilibus, qui sciens actionem iniquam movet, vel actioni recte motæ per injuriam sciens contradicit. §. 1. *Inst. de pœna tem. litig.*

73. Actio in factum de calumniatoribus est prætoria, annalis, competens ei, qui pecuniam dedit, ne sibi lis moveretur per calumniam, ut & ei propter quem seu in cujus præjudicium datum est, ut ipsi lis per calumniam moveretur. *l. 1. l. 3. §. ult. ff. de calumniat.* adhæc ei, propter quem tertius dedit, ne ipsi lis moveretur. *l. 7. ff. eod. tit.* non item heredi, quippe cui sufficere debet condictio pecuniæ quam dedit defunctus. *l. 4. ff. eod. tit.* nec ei, qui dedit ut alteri lis moveretur. *l. 1. l. 3 § ult. ff. de calumniat.* nec ei, qui dedit, ne tertio lis moveretur, cui sola dati condictio datur. *l. 7. ff eod. tit.* contra eum, qui accepit, ut vel ne litem iniquam alteri moveat *l. 1. ff. eod. tit.* non contra heredes ejus, nisi quatenus ad eos pervenit; cum turpia lucra heredibus extorquenda sint. *l. 5. ff. eod.*

eod. tit. intra annum in quadruplum ejus, quod datum est, post annum in simplum. *l. 1. l. 6. ff. eod. tit.*

74. Quinto actiones aliæ sunt bonæ fidei, aliæ stricti juris, aliæ arbitrariæ.

75. Bonæ fidei actiones sunt, in quibus judici permittitur ex bono & æquo æstimare, quantum alterum alteri ex bono & æquo tribuere oporteat, licet id in conventionem aut petitionem non fuerit expresse deductum. §. 30. *h. t. tit. Inst. de oblig. ex consensu. l. 24. circa fin. ff. depositi.* Nascuntur autem hæ regulariter ex negotiis ex utroque latere principaliter vel saltem per consequentiam obligatoriis; & continentur omnes in §. 28. *& 29. h. t.* nec præter eas aliæ dantur. Quamvis enim & funeraria actio bonæ fidei sit. *l. 14. §. 6. & 13. ff. de religios.* & actio emphyteuticaria, secundum ea quæ in *tit. de locatione* dicta: tamen hæ quoque sub actionibus in §. 28. *h. t.* recensitis comprehensæ sunt; cum actio funeraria sit species actionis negotiorum gestorum. *d. l. 14. §. 13. ff. de religios.* & actio emphyteuticaria ad actionem emti & locati merito referatur, tanquam ejusdem cum illis, quantum ad hoc tertium, naturæ. Nec ex eo, quod plures actiones dicuntur *ex bono & æquo* introductæ, recte concluditur, eas bonæ fidei esse; cum omnes omnino actiones, quotquot sunt, ex bono & æquo dentur, alioquin exceptione æquâ enervandæ arg. *pr. Inst. de exception.*

76. Stricti juris actiones sunt, in quibus conventioni & petitioni partium est adstricta potestas judicis. *tit. Inst. de oblig. ex consensu in fine. L. 99. ff. de verb. oblig.* ac oriuntur plerumque ex negotiis ex uno tantum latere obligatoriis.

77. Plures autem inter actiones bonæ fidei & stricti juris actiones differentiæ sunt, quarum præcipuæ sunt hæ. I. In actionibus bonæ fidei ad usuras ex morâ condemnatio fit; non item in iis quæ stricti juris sunt.

L. 32.

l. 32. §. 2. ff. de usuris junct. *l. 3. C. eod. tit.* II. Suspensâ seu dilatâ bonæ fidei actione, quia nondum dies præstandæ pecuniæ venit, interim ad interponendam cautionem agi, & ex justâ causâ condemnatio fieri potest; secus, si actio stricti juris ita suspensa sit. *l. 41. ff. de judiciis.* III In faciendâ æstimatione rerum vel ejus quod interest, spectandum in bonæ fidei actionibus tempus rei judicatæ; in stricti juris tempus litis contestatæ, si non aliud actum sit, aut mora aliud suadeat. *l. 3. § 2. ff. commodati.* junct. *l. 37. in fin. ff. mandati.* IV. In bonæ fidei actionibus, uti & in arbitrariis, jusjurandum in litem affectionis potest locum habere; non item in iis, quæ stricti juris sunt. *l. 5. l. 6. ff. de in lit. jurando.* V. Circa compensationes differentia quoque olim fuerat, sed hæc jure novo sublata est. §. 30. *h. t.*

78. Arbitrariæ actiones dicuntur, in quibus, nisi arbitrio judicis aliquid fiat, veluti, res restituatur, aut exhibeatur, aut solvatur. condemnatio fit; præcipue propter dolum, aut contumaciam, aut loci adjectionem. §. 27. §. 31. *h. t. l. 68. ff. de rei vindic. l. 18. ff. de dolo. l. 4. § 1. ff. de eo quod certo loco.* sic ut actiones arbitrariæ initio inspecto stricti juris sint, sed propter intervenientem dolum, aut contumaciam, aut non impletam destinato loco solutionem, induant in quibusdam naturam actionum bonæ fidei, & condemnationem ultra conventionem aut petitionem admittant. *d. ll.* Unde si dolus, aut contumacia, aut loci adjectio interveniat in negotiis, quæ ex suâ naturâ bonæ fidei sunt, ad arbitrariam actionem *doli*, aut actionem *de eo quod certo loco*, confugiendum non est. *l. 7. ff. de eo quod certo loco. l. 7. §. 3. ff. de dolo malo.* Differunt & in eo actiones arbitrariæ ab actionibns bonæ fidei, quod actiones bonæ fidei omnes vel tantum in personam, vel mixtæ sint; sed arbitrariæ multæ tantum in rem.

79. Inter actiones bonæ fidei, in §. 28 & 29. enumeratas, occurrunt quatuor necdum tractatæ in anteriori-

rioribus; puta actio præscriptis verbis quæ de æstimato proponitur, actio præscriptis verbis ex permutatione, petitio hereditatis, actio ex stipulatu de dote.

80. Contractus æstimatorius est innominatus, bonæ fidei, quo res æstimata alteri vendenda traditur, eâ lege, ut vel res incorrupta restituatur, vel pretium quo æstimata fuit. Adeoque actio præscriptis verbis æstimatoria est personalis, bonæ fidei, competens ei, qui rem æstimatam vendendam dedit, adversus eum, qui eam vendendam accepit, ad id, ut vel ipsa res incorrupta, vel æstimatio restituatur. *l. 1. ff. de æstimatoria.* § 28. *h. t.*

81. Permutatio est contractus innominatus, quo quis rem suam alteri dat, ut is vicissim rem propriam det; adeoque contractus do ut des. *l. 1. §. 2. 3. ff. de rer. permut. l. 5. §. 1. ff. de præscript. verbis.* ac proinde actio præscriptis verbis ex permutatione est personalis, bonæ fidei, competens ei, qui rem propriam ex permutatione dedit, adversus eum, qui illam accepit, ad id, ut vicissim det quod promisit, vel præstet id quod interest. *l. 5. §. 1. ff. de præscriptis verbis.*

82. Petitio hereditatis (quæ pro fundamento primario habet jus hereditatis, ex aditione quæsitum) est actio bonæ fidei, mixta, primario tamen in rem, per consequentiam in personam, competens heredi ex testamento vel ab intestato, adversus eum, qui pro herede vel pro possessore possidet, aut pro tali habetur, non item contra possidentes titulo singulari; ad id, ut restituantur res hereditariæ cum fructibus & accessionibus aliisque præstationibus personalibus, adhibitâ tamen quantum ad fructus differentiâ inter bonæ & malæ fidei possessores §. 28. *h. t. l. 7. C. de petit. hered. l. 2. 3. 11. 12. l. 13. pr. & § 1. pen. & ult. l. 20. pr. & §§. seqq. ff. de petit. hered. §. 2. Inst. de offic. jud.* observatâ quoque respectu fructuum & impensarum diffe-

rentiâ inter rei vindicationem & hanc actionem, quatenus in rei vindicatione possessor bonæ fidei justum habens titulum nullos fructus consumtos restituit, licet locupletior inde factus sit. §. 35. *Inst. de rer. divis.* cum in petitione hereditatis fructus consumti a bonæ fidei possessore restituendi sint, quatenus inde locupletior factus est. *l.* 25. §. 11. *ff. de petit. hered.* quia fructus augent ipso jure hereditatem. *l.* 9. *C. famil. ercisc.* & è converso in rei vindicatione possessor bonæ fidei impensas voluptuarias tantum tollit; at in petitione hereditatis eas æque ac utiles deducit ante restitutionem. *l.* 38. 39. *ff. de petit. hered. l.* 38. *ff. de rei vindic. l.* 5. *C. eod. tit.* §. 30. *Inst. de rer. divis.*

§3. Quod si heres prætorius bonorum possessionem agnoverit, competit ei possessoria hereditatis petitio. *tit. ff. de. possess. hered. petit.* Si fideicommissario ex fideicommisso hereditas restituta sit, fideicommissaria hereditatis petitio ei datur, *tit. ff. de fideic. hered. petit.* utraque iisdem fere nititur juris regulis, quibus civilis hereditatis directæ petitio.

§4. Pro herede possidet, qui putat se heredem esse. Pro possessore possidet, qui nullo jure rem hereditariam, vel totam hereditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. §. 3. *Inst. de interdict. l.* 10. 11. *ff. de petit. heredit.*

§5. Pro dote, soluto matrimonio recuperandâ, olim vigebat rei uxoriæ actio, quæ bonæ fidei erat; sed in ejus locum surrogata a Justiniano actio ex stipulatu; quæ, licet regulariter stricti juris sit, tamen in exactione dotis naturam bonæ fidei judiciorum accepit, ad exemplum veteris rei uxoriæ acionis §. 29. *h. t.* non tantum si de dote repetendâ, sed &, si de dote promissâ marito præstandâ agatur, *l. unic.* §. 1. *C. de rei uxor. act.* Adeoque est actio personalis, bonæ fidei, competens præcipue uxori aut ejus heredibus, quandoque & patri mulieris, si dos profectitia sit, vel

etiam

etiam extraneo, si is illam sibi soluto matrimonio restitui recte pactus sit; adversus maritum aut heredes ejus, quandoque contra patrem mariti, si is nomine sui filiifamilias dotem susceperit; ad id ut bona dotalia immobilia statim, mobilia intra annum restituantur. Et in hujus restitutionis faciendæ securitatem etiam tacita seu legalis actori hypotheca data; quandoque & privilegium ante alios hypothecarios tempore priores exigendi, si scilicet vel ipsa uxor, vel liberi ejus, de dote repetendâ agant. § 29. *h. t. l. ult.* § 1. *circa fin. C. qui pot. in pign. nov.* 97. *cap.* 4. *l. unic.* §. 1. *& seqq. C. de rei uxor. act.*

86. Arbitrariis actionibus præter alias jam ante tractatas accensetur actio de dolo, actio de eo quod certò loco, & actio ad exhibendum.

87. Actio doli est prætoria, personalis, famosa, competens iis, qui dolum passi sunt, adversus eum, qui dolo fecit, ad id, ut res dolo amissa restituatur, aut præstetur id quod interest. *l.* 18. *ff. de dolo.*

88. Non tamen huic actioni locus est, si alia actio adhuc supersit, sed hæc subsidiaria est. *l.* 1. § 4. *ff. de dolo.* nec contra tertium rei dolo amissæ possessorem datur; sed tantum contra eum qui dolum fecit, aut heredes ejus, quatenus ad eos pervenit. *l.* 13. *pr. &* §. 1. *l.* 15. § *ult. l.* 16. *ff. de dolo.* nec post biennium moveri potest. *l. ult. C. de dolo.* nec denique locum habet, quoties dolus dedit causam contractui bonæ fidei; quia tunc ipso jure nullum est quod gestum fuit; sed tantum, si dederit causam contractui stricti juris vel inciderit in eum. *l.* 7. *pr. &* §. 3. *ff. de dolo.* Dat autem dolus causam contractui, cum animum contrahendi non habens ad contrahendum dolo inductus est. Incidit in contractum, cum quis sponte quidem contrahit, sed in modo contrahendi, velut pretio aut aliter, decipitur. *l.* 7. *ff. de dolo.*

89. Si quis ex negotio stricti juris rem debeat certo loco, veluti Romæ, alibi quam Romæ non potest

conveniri actione stricti juris, in qua potestas judicis conventione partium, adeoque loci adjectione restricta est. Sed, ne sic obligati inanem adversario faciant persecutionem, nunquam ad locum adjectum venientes, prætor ex æquo & bono permisit, alibi agi de tali debito per *actionem de eo quod certo loco. l. 1. ff. de eo quod cert. loco.*

90. Est autem *actio de eo quod certo loco* prætoria, personalis, arbitraria, quâ res, ex negotio civili stricti juris certo loco præstanda, alibi petitur, factâ mentione loci adjecti, ut judex pro variâ locorum æstimatione pluris minorisve reum condemnet. §. 31. 33 *h. t. l. 2. §. ult. l. 3. ff de eo quod certo loco.* Si in ipso loco adjecto res petatur, actioni stricti juris locus est, non huic arbitrariæ. *l. 4. ff. eod. tit.* uti nec, si quid certo loco debeatur ex negotio bonæ fidei. *l. 7. ff. eod. tit.*

91. Actio ad exhibendum est arbitraria, personalis in rem scripta, competens illis, quorum interest peculiariter ex justâ causâ, & jure in re, contra quosvis possessores & detentores, ad id, ut res mobilis exhibeatur. § 3 *Inst. de offic. jud. l. 3. §. 12. & ult. l. 4. l. 5. l. pen. ff. ad. exhib.* estque hæc actio maxime inducta propter vindicationes, *l. 1. ff ad exhibend.*

92. Exhibere est facere in publico potestatem, ut ei, qui agit, experiundi copia sit. *l. 2. ff. ad exhibend.*

93. Sexta actionum divisio est, quod actionibus quibusdam certum petitur, quod & frequentius est; quibusdam incertum. arg § 32 *h. t.* Certum peti dicitur, cum apparet, quid, quale, quantumque sit quod petitur: seu, cujus species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut eâ demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit ostenditur, *l. 6. ff de reb. credit.* Incertum, de quo id non apparet; veluti, cum petitur res in genere, vel duæ res alternativo debitæ, vel

fa-

factum, vel id quod intereſt *l.* 75. §. 7. 8. 9. *ff. de verb. obligat.* §. *ult. Inſt. de verb. obligat.*

94. Sive autem certum, ſive incertum petatur, cavendum eſt, ut judex, quantum ei poſſibile eſt, certæ pecuniæ vel rei ſententiam ferat §. 32. *h. t.* idque vel per ſe, vel per relationem ad aliud, veluti, *quantum petitum eſt*: nam ſi jubeat ſolvi *quod debetur*, æque incertos dimittit litigantes, ac ſententia nulla eſt. *l.* 5. §. 1. *l.* 59. §. 1. 2. *ff. de re judicatâ.* Si tamen vel res in genere debita petita ſit, vel duæ res alternative, vel factum, judex ſimpliciter ad genus, vel ad duas res alternative debitas, vel ad factum condemnabit; ne alioquin reo adimat electionem, quam ſpeciem dare velit, & an facti loco id quod intereſt præſtare malit arg. *l.* 6. §. 1. *l.* 13. *in fine ff. de re judic. l.* 75. §. 7. 8. *ff. de verb. oblig.* §. 33. *h. t.*

95. Sed & ſecundo cavendum actori eſt, ſive certum ſive incertum petere velit, ne peccet plus petendo, vel re, vel loco, vel tempore, vel causâ: *re*, dum pro decem debitis quindecim petit: *loco*, dum rem certo loco debitam alio in loco petit, non factâ mentione loci, in quo debetur: *tempore*, dum petit ante exiſtentiam diei vel conditionis, quæ obligationi adjecta eſt: *causâ*, dum ex genere debito, aut ex duabus rebus alternative debitis ſpeciem unam petit, & ita reo adimit electionem. §. 33. *h. t.* Cæterum olim pœna plus petentium erat, quod causâ caderent; ſed jure novo, ſi re, vel loco, vel causa actor plus petierit, in triplum damni dati tenetur adverſario. §. 33. *in fine h. t.* ſin tempore, duplicatæ induciæ conceduntur adverſario; adeoque actor tanto temporis ſpatio poſt diei vel conditionis eventum expectare debet, quanto maturius petiit, atque inſuper adverſario refundere impenſas litis præmature motæ. §. 10. *in fin. Inſt. de except.*

96. Plane minus petendo, quam debetur, actor non peccat; ſed poteſt libello petitionis mutato, reli-

quum in eodem judicio consequi. §. 34. *h. t.* Sicut & is, qui aliud, quam debebatur, vel ex aliâ causâ, quam ex quâ debitum erat, petiit, libellum ante & post litem contestatam usque ad sententiam emendare ac mutare potest, manente eodem judicio. §. 35. *h. t. l.* 4. §. *ult. ff. de noxal. act.* dummodo reo refundat impensas litis prius perperam motæ. arg. *l.* 79. *ff. de judiciis.* eique quantum ad mutata tempus relinquatur ad deliberandum, utrum cedere an contendere velit. arg. *l.* 1. *ff. de edendo.*

97. Septima & ultima in hoc titulo proposita actionum divisio est, quod quibusdam solidum consequimur, quibusdam minus quam solidum. §. 36. *h. t.*

98. Minus quam solidum actor consequitur vel ex naturâ actionis, vel ob impensas, vel ob beneficium competentiæ, vel ob compensationem, vel ob beneficium cessionis.

99. Ex naturâ actionis id fit in actione de peculio, tributoriâ, de in rem verso: quippe quibus actor tantum consequitur quantum est in peculio, vel in merce peculiari; vel quantum re ipsâ in rem patris vel domini versum est, licet plus creditum fuerit. §. 36. *h. t.* §. 3. *&* 4. *Inst. quod cum eo qui in alien. potest. neg. gest. esse dic.*

100. Propter impensas in rem factas id accidit in multis causis, præcipue in actione ex stipulatu de dote repetendâ. § 37. *h. t.* pro quibus olim retentio dotis marito permissa fuit, sed jure novo denegata. *l. unic.* §. 5. *in med. C. de rei uxor. act.* ac alio modo ipsi consultum, pro variâ impensarum naturâ: quippe quarum aliæ necessariæ, aliæ utiles, aliæ voluptuariæ sunt.

101. Necessariæ dicuntur, quibus non factis res redderetur deterior; quo pertinet, ædificia fulcire, aggeres facere. *l.* 14. *ff. de impens. in rem dot. factis.*

102. Utiles, quæ fructuum proventum augent, ac rem meliorem efficiunt; veluti, si novelletum in fundo

fiat,

fiat, vel in domo pistrinum, vel si cœnaculum ædibus adjiciatur. *l. 5. §. ult. l. 6. ff. de impens. in rem dot. fact.*

103. Voluptuariæ, quæ speciem ornant, non fructum augent; veluti balnea exstruere. *l. 7. l. 14. §. ult. ff. de impens. in rem dot. fact.*

104. Si necessariæ impensæ a marito in dotem factæ sint, ipso jure dotem minuunt. *l. 5. ff. de impens. in rem dot. factis. l. 1. §. 4. l. 5. ff. de dote prælegatâ.* Si utiles, maritus eas actione mandati recuperat, si ex voluntate mulieris factæ sint, aut alioquin actione negotiorum gestorum. *l. unic. §. 5. post. med. C. de rei uxor. act.* Si voluptuariæ, maritus eas non repetit, sed tantum tollit, quatenus sine rei detrimento tollere potest; & id, quod tollit, utile tollenti futurum est. *l. 2. ff. de impens. in rem dot. factis.* Si tamen mulier pati nolit maritum tollentem, exactionem patitur. *d. l. 9.*

105. Beneficium competentiæ est, quo quis munitus condemnari aut executionem pati non debet ultra vires patrimonii, sed tantum in id, quod facere potest, retento eo, ne egeat. *l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re judic. l. 173. ff. de reg. jur.* Eoque gaudet maritus, de dote reddendâ conventus. *§. 37. h. t.* & liberi ejus ex eo matrimonio nati. *l. 18. ff. soluto matrim.* ac socer. *l. 15. §. ult. l. 16. ff. eod. tit.* Gaudet insuper eo parens & patronus adversus liberos & libertos, donator adversus donatarium. *§. 38. h. t.* miles ex privilegio. *l. 17. ff. de re judicat.* socius contra socium, sive universalis sive particularis societas sit. *l. 63. ff. pro socio. l. 16. ff. de re judic.*

106. Compensatio est debiti & crediti inter se contributio atque confusio. *l. 1. ff. de compensat.* Quæ ut locum habere possit, requiritur, ut debitum utrimque sit liquidum & purum. *l. 4. l. ult. §. 1. C. de compensat.* & ut utrimque quantitas seu res fungibilis ejusdem generis debeatur. *l. 4. l. 8. C. de compensat.* Atque

que tunc compensationis effectus est, quod ipso jure tollitur utrimque obligatio usque ad concurrentem quantitatem. §. 30. *h. t. l.* 11. 12. *ff. de compensat. l.* 4. *l. ult. pr. C. eod. tit.* sive debitum utrimque sit usurarium, sive ab uno tantum latere. *d. l.* 11. & 12. *ff. de compensat.* nec interest, an ex contractu, an vero ex delicto pecunia debeatur. *l.* 10. §. 2. *ff. de compensat.* nec, utrum naturaliter & civiliter simul, an tantum naturaliter. *l.* 6 *ff. de compensat.* Plane in deposito, & causis momentaneæ possessionis compensationi locus non est. §. 30. *in fine h. t. l. ult.* §. 1. *in fine*, & §. 2. *C. de compensat.*

107. Cessionis beneficium est, quo debitor obæratus omnia sua bona præsentia, nullis retentis, suis cedens creditoribus, a carceris squallore liberatur. §. *ult. h. t. l.* 1. *C. qui bon. ced. poss* non tamen ab ipso debito: nam si ad meliorem fuerit reversus fortunam, adhuc creditoribus solvere compellitur; gravisurus tunc competentiæ beneficio, sic ut modicum acquisitum ei non auferatur. *l.* 6. *ff. de cessione bon.* §. *ult. h. t.*

TIT. VII.

Quod cum eo, qui in alienâ potestate est, negotium gestum esse dicitur.

1. Præter divisiones actionum nobiliores in *tit. præcedente* propositas, aliæ insuper plures in hac & seqq. titulis occurrunt. Etenim quædam directæ sunt, quædam adjectitiæ quasi qualitates actionum directarum; quales hoc tit. sex occurrunt, puta, actio quod jussu, exercitoria, institoria, tributoria, de peculio, & de in rem verso.

2. Actio quod jussu est personalis, competens illis, qui cum filiofamilias aut servo, jubente patre vel domino contraxerunt, adversus patrem vel dominum,

ad

ad id, ut præstetur creditum, quatenus jussus est interpositus. §. 1. *h. t. l. 3. ff. quod jussu.* Jussisse autem videtur etiam, qui ratum habuit,] aut chirographo sui filiifamilias aut servi subscripsit. *l.* 1. §. 4. & 6. *ff. quod jussu.*

3. In actione exercitoriâ exercitor dicitur, ad quem quotidianus navis quæstus pertinet: sive dominus navis sit, sive navem per aversionem conduxerit. *l.* 1. §. 15. *ff. de exercit. act.*

4. Magister navis est, ad quem quotidiana navis cura pertinet. *l.* 1. §. 1. *ff. eod. tit.*

5. Promagister est, qui a magistro est substitutus. *l.* 1. §. 5. *ff. eod. tit.*

6. Actio exercitoria est prætoria, personalis, perpetua, competens illis, qui cum magistro navis, vel cum promagistro, etiam invito exercitore substituto, contraxerunt ejus rei gratiâ, cui magister fuit præpositus, adversus exercitorem, &, si plures sint, contra singulos in solidum, ad id, ut præstetur, quod contractu magistri vel promagistri comprehensum est. *l.* 1. §. 5. 7. 8. 9. *ult. l.* 2. 3. 4. *ult. ff. de exercit. act.* §. 2. *h. t.* Non aliter itaque huic actioni locus est, quam si magistro in id sit creditum, cui præpositus est. *l.* 1. §. 7. 12. 13. 14. *ff de exercit. act.* & navis tali ac tanto sumtu indiguerit. *l. ult. ff. de exercit. act.* non item, ut etiam re ipsâ in eos usus erogatum sit. *l.* 1. §. 9. *eod. tit.*

7. Institor est, qui officinæ vel tabernæ est præpositus; sive liber sit sive servus, sive pubes sive impubes, sive masculus sive fœmina. *l.* 7. *l.* 8. *ff. de instit. act.*

8. Actio institoria est prætoria, personalis, perpetua, competens illis, qui cum institore contraxerunt ejus rei gratiâ, cui is erat præpositus, adversus præponentem, ad id, ut præstetur, quod institoris contractu comprehensum est. §. 2. *h. t.* sic ut hæc actio iisdem fere juris regulis nitatur, quibus exercitoria;

O 5 dum

dum in utrâque contrahens non magistri aut institoris, sed potius ipsius præponentis fidem secutus est; utpote qui præponens mandavit tacite, cum tali præposito contrahi ejus rei gratiâ, cui eum præposuit: eo excepto, quod exercitor etiam tenetur ex contractu promagistri propter utilitatem navigantium. *l.* 1. §. 5. *ff. de exercit. act.* non item præponens ex contractu ejus, quem institor sibi substituit; cum id in jure cautum non sit.

9. Actio tributoria præsupponit mercem peculiarem, in quâ servus aut filiusfamilias sciente & patiente patre vel domino negotiatus est. Quæ à peculio diversa est; cum peculium deducto eo, quod domino debetur, accipiatur; merx vero peculiaris, etiamsi nihil sit in peculio, dominum tributoriâ obliget. *l.* 1. §. 2. *ff. de tribut. act.*

10. actio itaque tributoria est personalis, perpetua, competens ei, qui filiofamilias aut servo in merce peculiari negotianti sciente & permittente patre vel domino credidit, contra patrem vel dominum, ad id, ut merx peculiaris aut pretium inde redactum æqualiter pro ratâ inter patrem vel dominum & cæteros creditores dividatur. §. 3 *h. t. l.* 1. 2. 3. *l.* 5. §. 11. *ff. de tribut. act.* ut tamen privilegiati aut hypothecarii creditoris causa potior sit. *l.* 5. §. 8. & 11. *ff. eod. tit.*

11. Si pater vel dominus distribuere nolit, invitus non cogitur, sed arbiter a prætore ad distribuendum dandus est. *l.* 7. §. 1. *ff. de tribut. act.* sin distribuerit, sed inique, si quidem dolo, ipse de suo damnum læsis reparare cogitur. *l.* 7. §. 2. *ff. eod. tit.* §. 3. *in fine h. tit.* si vero sine dolo, læsi id, quod amplius cæteris solutum est, ab iis repetunt vi cautionis præstitæ tempore solutionis. *l.* 5. §. *ult. ff. de tribut. act.*

12. Actio de in rem verso (quæ in plerisque imitatur naturam actionis mandati & negotiorum gestorum. *l.* 3. §. 2. 4. *ff. de in rem verso*) est personalis, competens

petens ei, qui in rem patris vel domini credidit filiofamilias aut servo, contra patrem vel dominum, ad id, ut præstetur, quatenus in rem eorum vere versum est. Non enim sufficit in rem patris creditum esse, si non etiam versum, sed in alios usus erogatum sit. §. 4. *h. t. l.* 1. *pr. l.* 3. §. 9. *ff. de in rem verso.* in quo hæc actio differt ab exercitoriâ & institoriâ. *l.* 1. §. 9 *l. ult. ff. de exercit. act.* Sed & ab actione de peculio (quæ *tit. de action.* est tractata) differt, in eo quod hæc etiam ultra annum ab extincto peculio duret perpetuo; & locum habeat, etiamsi nihil in peculio sit, dum plus patri dominove a filiof. aut servo debitum erat; ac denique is, qui de in rem verso agit, in concursu aliis creditoribus actione de peculio agentibus potior sit. *l.* 1. §. 1. 2 *ff. de in rem verso.*

13. Licet autem in hâc actione nihil intersit, an versum, seu utilitas versi, duret, an non. *l.* 3. §. 7. *ff. de in rem verso.* tamen inter necessario & utiliter versum differentia est, quod necessario versum repetitur totum, quatenus versum est, utiliter versum non ultra, quam quatenus id domino utile fuit. *l.* 5. *ff. de in rem verso.* Quod si voluptatis causâ versum sit, tantum ejus tollendi potestatem habet creditor, quatenus sine rei detrimento tolli potest. *l.* 3. §. 4. *ff. eod. tit.*

14. Cum actione quod jussu, exercitoriâ ac institoriâ concurrere potest mandati actio; sicut actio negotiorum gestorum cum actione de in rem verso. §. *ult. h. t.* Sed quamvis etiam cum actione quod jussu, & exercitoriâ, & institoriâ, concurrere possit aliquando actio tributoria, de peculio, & de in rem verso, tamen cum tribus prioribus solidum consequamur, posterioribus sæpe minus quam solidum, prioribus potius quam posterioribus experiri consultum est. Plane, si actio de peculio concurrat cum tributoriâ & de in rem verso actione, ex circumstantiarum varietate statuendum, an hâc, an magis illâ, experiundum sit. §. 5. *h. t.*

Cæ-

Cæterum in ſex actionibus hoc tit. propoſitis eadem filiifamilias & ſervi ratio eſt. *pr. h. t.* eo excepto, quod filiusfamilias etiam ipſe ex ſuis contractibus civiliter obligatur, & agi cum eo poteſt. *l. 39 ff de oblig. & act.* at ſervus non item, ac ne quidem, ſi poſtea liber factus ſit. *l. 14. ff. de obl. & act.* quodque ſervi mutuum accipientes, dominum obligant peculio tenus, at filiifamilias nullo modo; obſtante ſcilicet Senatusconſulto Macedoniano (ſic appellato a Macedone, improbo fœneratore,) quo cautum, ne quis filiofamilias (cujuſcunque ætatis, ſexus, aut gradus. *l. 9. §. 2. l. 14. ff. ad Senatuſc. Maced.*) mutuam credat pecuniam, & ſi crediderit, ac repetere velit, repellatur exceptione ſenatuſconſulti Macedoniani. *§. pen. h. t. l. 1. ff. ad ſenatuſc. Maced. l. 40. ff. de condict. indeb.* quæ & poſt ſententiam opponi poteſt ad impediendam executionem. *l. 11. ff. ad Senatuſc. Maced.* nec tantum filiofamilias & patri ejus ac heredibus, ſed & fidejuſſoribus competit, niſi illi donandi animo intercesſerint. *l. 9, §. 3. ff. ad SC. Maced.*

15. Pecuniæ nomine hic quidem proprie ſola *numerata* intelligitur; ſed tamen & aliæ res, ſicut & alii contractus præter mutuum, ſi in fraudem Senatuſconſulti intervenerint. *l. 3. §. 3. l. 7. pr. ff. eod. tit.*

16 Ceſſat hæc exceptio in caſtrenſi peculio. *l. 1. in fin. l. 2. ff. eod. tit.* ſi pater ipſe fuiſſet daturus. *l. 7. §. 13. eod. tit.* ſi conſenſus patris adſit. *l. 2. l. 4. C. eod. tit.* ſi filiof. tanquam inſtitori mutuum datum ſit. *l. 7. §. 11. ff. eod. tit.* ſi ſe patremfamilias dolo dixerit & ignoranti perſuaſerit. *l. 1. C. eod. tit.* ſi omnium opinione pro patrefamilias habitus ſit. *l. 3. ff. eod. tit.* ſi pater, vel ipſe filius jam ſui juris factus, totum debitum aut partem ſolverit. *l. 7. §. pen. & ult. ff. eod. tit.* junct. *l. 4. C. de non numer. pecun.*

17. Non tamen, ſi filiusfamilias ei renunciaverit; cum non in ejus favorem, ſed in odium fœneratorum,

rum, & patris utilitatem introducta sit. *l.* 40. *ff. de condicti indeb.*

TIT. VIII.

De noxalibus actionibus.

1. Inter actiones, quæ novæ non sunt, sed tantum qualitates adjectitiæ actionum directarum, recensentur etiam actiones noxales; quæ scilicet vel ex delictis privatis (non contractibus, aut publicis criminibus) servorum, vel ex factis animalium competunt, non item jure novo ex delictis filiorumfamilias. *pr. & §. ult. h. t.* ac vel civiles sunt, vel prætoriæ, prout ipsa principalis actio ex delicto civilis aut prætoria est. §. 4. *h. ti*

2. Actio noxalis ex delictis servorum est actio personalis in rem scripta, competens illis, quibus actiones directæ ex delicto essent competituræ, si liber homo deliquisset, adversus dominum servi, & quemvis servi possessorem, ad id, ut damnum reparetur, aut servus noxæ detur. *pr. h. t. l.* 11. 12. 13. *ff. de noxal. act* licet enim melior conditio nostra per servos nostros fieri possit, deterior non possit. *l.* 133 *ff. de reg. juris.* tamen in hoc, ut dominus servum noxæ dedere compellatur, servus deteriorem potest facere domini conditionem. *l.* 1. §. 15. *ff. de vi & vi armata.*

3. Effectus noxæ deditionis est, I Quod dominium transit in accipientem, si modo noxæ dans dominus sit §. 3. *h. t.* nam si tantum possessor sit, usucapiendi facultas sola acquiritur ex *titulo pro noxa dedito*; sic ut medio tempore verus dominus servum vindicare non prohibeatur, si modo paratus sit eum, cui a non domino servus noxæ datus fuit, indemnem servare. *l.* 11. 12. 13. *ff. de noxal. act* junct *l.* 3. §. 21. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* II. Quod ipso jure contingit liberatio. §. 3 *h. t.* III. Quod, si servus noxæ datus quæsitâ pecuniâ damnum novo domino resarcierit, eo invito manumittendus sit. *d.* §. 3. *h. t.*

4. Ca-

4. Cæterum noxalis actio caput sequitur: unde si servus, qui deliquit, alienatus fuerit, in novum dominum actio datur; si manumissus, in ipsum manumissum directa ex delicto actio est: in ipsum vero alienantem aut manumittentem actio hæc non competit. §. 5. *h. t.* nisi dolo malo evitandi judicii noxalis causâ alienasse aut manumisisse, & ita dolo possessionem amisisse, probetur. *l.* 24. 25. 26. *ff. de noxal. act.*

5. Si servus proprio domino nocuerit, ne quidem post alienationem noxalis actio domino datur: cum & noxalis actio, quæ ab initio cœperat ex alieni servi delicto competere, evanescat, si læsus servi lædentis dominus fiat. §. 6. *h. t.* nisi demum post litem contestatam dominus factus sit. *l.* 37. *ff. de noxal. act.*

6. Si domino jubente, vel sciente & non prohibente, cum posset, servus læserit, non noxali sed directæ actioni ex delicto contra dominum locus est. *l.* 2. 3. *ff. de noxal. act.* nec noxæ deditione defungi potest, sed totum damnum reparare tenetur, qui servum suum esse, vel se possidere, falso negavit. *l.* 21. §. 2. *ff. eod. tit.* vel condemnatus quadrimestre spatium, condemnatis indultum, elabi passus est. *l.* 20. §. 5. *ff. de petit. hered.*

TIT. IX.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

1. Pauperies est damnum sine injuriâ facientis, adeoque ab animali datum. *pr. h. t.*

2. Nocent autem animalia vel secundum naturam sui generis, dum in alieno depascunt, quo casu est actio de pastu pecorum; vel contra naturam sui generis, assumtâ feritate, dum bos cornu petit, equus calce percutit, quo casu actio de pauperie est.

3. Actio de pastu est personalis, civilis, ex lege 12. tabul. competens ei, cui animal alienum depascendo

do

do nocuit, adversus dominum animalis, ad id, ut damnum reparetur, aut animal noxæ detur. *l.* 14. §. *ult. ff. de præscript. verb.* cui ut locus sit, requiritur, ut in alieno depastum sit, & ut nemine immittente id contigerit: nam si culpa quædam immittentis appareat, & ita per injuriam depastum sit, actio ex lege Aquiliâ datur. *l. ult C. ad leg. Aquil.* sicut actio in factum competit, si meum pecus glandem, ex arbore tuâ in meum fundum cadentem, depascat. *d. l.* 14 §. *ult.*

4. Actio de pauperie est personalis civilis, competens ei, cui nocitum est, adversus dominum animalis, contra naturam sui generis nocentis, ad id, ut damnum reparetur, aut animal noxæ detur. *pr. h. t. l.* 1. *pr. ff. h. t.* ad quam etiam requiritur, ut nullius concitatione animal nocuerit: nam si tertius illud instigaverit, actioni ex lege Aquiliâ contra concitantem locus esset. *l.* 1. §. 4. *& seqq. ff. h. t.* si ipse læsus concitaverit, nullam actionem habet: cum suâ culpâ damnum sentiat. *l.* 203 *ff. de reg. juris.*

5. Estque hæc actio de pauperie vel directa, si nempe quadrupes, quæ gregatim pascitur sub imperio pastoris, damnum dederit; vel utilis, si animal mansuefactum vel bipes nocuerit, vel animal ferum, quod ab aliquo possidetur. *arg. pr. h. t. l.* 1. §. 10. *l.* 4. *ff. h. t.*

6. Est & actio in factum ex ædilitio edicto contra eos, qui canem, verrem, aprum, ursum, leonem, aut aliud simile animal illic habent, quâ vulgo iter fit, tendens ad ducentos aureos, si homo liber perierit; ad id, quanti judici æquum videbitur, si homini libero nocitum sit; in cæteris rebus æstimationem recipientibus ad duplum damni dati. §. *ult. h. t. l.* 40. *& seqq. ff. de ædilit. edicto.*

TIT.

TIT. X.

De iis per quos agere possumus.

1. Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat. *l. 1. ff. de procurat.*

2. Defensor est, qui sine mandato pro reo vocato intervenit. *l. 40. § 2. l. 51. ff. de procurat.*

3. Procuratorem vel specialem esse, vel generalem, & hunc rursus vel cum liberâ vel sine liberâ administratione, atque insuper alium expresso, alium tacito mandato constitui in *tit. de mandato* dictum est.

4. Et olim quidem quisque pro se agere & in judicio stare debebat, nullus pro alio, exceptis paucis casibus *pr. h. t.* at jure novo etiam per procuratorem unusquisque in causis civilibus agere ac conveniri potest; quia & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, & negotiorum forensium imperitia, aliæque multæ causæ impedimento esse possunt, quo minus quis rem suam ipse exsequatur. *d. pr. h. t.* In causis criminalibus ita demum procurator intervenire potest, si reus absens damnari possit. *l. 33. § 2. ff. de procurat. l. 1. ff. an per al. causa appell. reddi possint.* vel illustris agat aut conveniatur. *§. 10. Instit. de injuriis. l. 25. & auth. hoc jus C. de procurat.*

TIT. XI.

De satisdationibus.

1. De cautione variisque cavendi modis, puta satisdatione, juratoriâ cautione, pignoratitiâ cautione, & nuda repromissione, actum *in tit. de satisdat. tut.* Cæterum hoc titulo tres potissimum continentur cautiones, puta, *de judicato solvendo, de rato, & de sistendo.*

2. Cau-

2. Cautio *judicatum solvi* tres clausulas in unum collatas habet, I. De solvendo eo, quod sententiâ judicis fuerit comprehensum. II. De re defendendâ boni viri arbitratu. III. Dolum malum abesse & absuturum esse. *l. 6. l. 13. l. 19. ff. judicatum solvi.* §. 4. *h. t.*

3. Cautio de rato est, quâ procurator vel defensor cavet, eum, pro quo intervenit, rem ratam habiturum, seu probaturum esse. §. 3. *h. t. l.* 40. §. 2. *ff. de procurat.*

4. Cautio de sistendo est, quâ quis promittit, se in jure stiturum, & ad terminum litis permansurum. §. 2. *h. t.*

5. Si quis suo nomine tanquam actor in judicio consistat, nullam quidem ex hisce tribus cautionem interponere tenetur, sive in rem sive in personam actione experiatur. *pr.* & §. 1. *h. t.* sed tamen cavere debet, se intra duos menses a tempore editi libelli litem contestaturum, sub pœnâ dupli damni dati, &, si succubuerit, decimam quantitatis libello comprehensæ partem expensarum nomine soluturum, & ad finem litis permansurum. *auth. generaliter C. de episc. & cleric. nov.* 96. *cap.* 1. sin tanquam reus in jus vocatus, nullam de judicato solvendo cautionem jure novo præstat, sive in rem sive in personam actione conveniatur. *d. pr.* & §. 1. *h. t.* sed de sistendo cavere debet idque regulariter datis fidejussoribus, qui idonei sunt facultatibus & conveniendi facilitate. §. 2. *h. t. l.* 2. *ff. qui satisd. cog.*

6. Bonorum tamen immobilium possessores jurato tantum hic cavent. *l.* 15. *pr. ff. qui satisd. cog.* junct. *l.* 8. *in med. C. de principibus agent. in rebus.* sicut & viri illustres. *l.* 17. *C. de dignitatibus.* quique idoneos invenire nequeunt fidejussores, si hoc ipsum jurejurando calumniæ affirment. *auth. generaliter C. de episc. & cleric.* junct. *l.* 8. §. 5. *ff. qui satisd. cog.* Plane fiscus & respublica tantum repromittit. *l.* 1. §. 18. *l.* 6.

P §. 1.

§. 1. *ff. ut legat. vel fideicomm. nomine cav.* uti & clerici in multis casibus. *l. 25. & auth. seq. l. 33. §. 2. 3. C. de episc. & clericis.*

7. Si quis non per se, sed per alium in judicio stet, si quidem tanquam actor, & de mandato procuratori dato constet, nullam procurator interponit de rato cautionem: quippe cui demum locus est, si de mandato dubitetur. *l. 1. C. de procurat. l. 65. ff. eod. tit.* Et si constet mandatum deesse, nullus pro actore tanquam procurator in judicio stare potest, licet de rato cavere paratus sit. arg. *l. 24. C. de procurat.* nisi sint conjunctæ personæ, quas & sine mandato pro conjunctâ personâ agentes admitti placuit, si modo de rato caveant. *l. 35. ff. de procurat. l. 12. C. eod. tit. l. 8. ff. de negot. gestis.* Quod si pro reo alius defensionem suscipere paratus sit, audiendus quidem est, licet constet, eum mandato carere, quia publice utile est, reos absentes a quibuscunque defendi. *l. 33. §. 2. ff. de procurat.* §. 5. *h. t.* sed sive de mandato constet, sive de eo dubitetur, sive denique certum sit, mandatum deesse, necesse omnino est, ut rei defensor aut procurator interponat cautionem *judicatum solvi*, quia nemo, secundum veterem juris regulam, alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur. *pr. &* §. 5. *h. t.* nisi reus ipse præsens in judicio procuratoris sui personam per *judicatum solvi* satisdationem solenni stipulatione firmet; vel extra judicium ipse sui procuratoris fidejussor pro omnibus *judicatum solvi* satisdationis clausulis existat. §. 4. *h. t.*

8. Porro in cautionum præstatione modus, qui in regia urbe observatur, etiam in omnibus provinciis observandus est. §. *ult. h. t.*

TIT.

TIT. XII.

De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.

1. Est & alia actionum divisio, quâ vel perpetuæ vel temporales sunt.

2. Perpetuæ olim dicebantur, quæ perpetuo durabant, & nullâ temporis præscriptione perimebantur; sed jure novo perpetuæ sunt, quæ non nisi longissimo tempore triginta aut quadraginta annorum extinguuntur. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 7. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann. pr. h. t.*

3. Temporales sunt, quæ intra brevius tempus, a jure civili vel prætorio præfinitum, sunt intentandæ. *d. pr. h. t.*

4. Cæterum civiles actiones plerumque perpetuæ sunt, quia perpetuam causam habent; prætoriæ vero plerumque temporales, & frequenter annales, quia & ipsius prætoris annuum tantum imperium fuit: exceptâ possessoriâ hereditatis petitione, & furti manifesti actione, aliisque quibusdam, quæ triginta annis durant. *d. pr. h t.*

5. Præterea quædam actiones heredibus dantur & in heredes; quædam heredibus, sed non in heredes; quædam denique nec heredibus nec in heredes. §. 1. *h. t.*

6. Heredibus & in heredes dantur actiones omnes personales rei persecutoriæ ex contractu vel quasi contractu, ut passim in libro tertio notatum fuit; nisi secundum posteriorum Imperatorum constitutiones testator seu defunctus dolose in contractu vel quasi contractu versatus sit, & nihil ex eo dolo ad heredem pervenerit; tunc enim actio ex contractu imitatur actionem ex delicto, & heredibus quidem, sed non in heredes datur. §. 1. *in fine h. t. l. ult.* §. 1. *ff. de*

fidejuss. & nominat. & hered. tut. Quod si in rem actiones sint, heredibus quidem dantur, sed non competunt in heredes, qua tales, sed tanquam rei possessores aut detentores. *l. 42. l. 55. ff. de rei vind.*

7. Heredibus quidem, sed non in heredes, competunt actiones pleræque pœnales; nisi lis cum defuncto jam fuerit contestata. §. 1. *h. t. d. l. ult.* §. 1. *in fin. ff. de fidejuss. & nominat. & hered. tut.* vel aliquid ex dolo defuncti ad heredes pervenerit, quia turpia lucra heredibus sunt extorquenda. *l. 5. ff. de calumniat.* §. 1. *h. t.*

8. Nec heredibus nec in heredes competentes actiones paucæ sunt, puta: actio injuriarum. §. 1. *h. t.* actio in factum de in jus vocando. *l. pen. ff. de in jus voc.* actio in factum de calumniatoribus. *l. 4. l. 5. ff. de calumniat.* actio in factum ad revocandam donationem ob ingratitudinem. *l. 1. l. 7. l. ult. C. de revoc. donat.*

9. Hactenus de actionum divisionibns in Institutionum serie contentis: præter quas aliæ nonnullæ sparsim in jure occurrunt, obiter hic subjiciendæ.

10. Etenim actiones aliæ directæ sunt, quæ ex verbis legis competunt; aliæ utiles, quæ ex mente legum & interpretatione dantur. §. *ult. Inst. ad leg. Aquil.* sive a solâ Jurisconsultorum interpretatione inductæ sint. *d.* §. *ult.* sive insuper Principis constitutione aut alia juris parte utiles tales actiones firmatæ fuerint: quod in actione venditâ, donatâ, legatâ, aut aliâ ex causâ cedendâ accidit, quatenus emtoribus, donatariis, legatariis, tutoribus in solidum damnatis contra contutores, aliisque similibus, utiles actiones sine cessione datæ sunt. *l. 16. ff. de pactis. l. 1.* §. 13. *ff. de tut. & rat. distrah.*

11. Præterea actiones aliæ præparatoriæ sunt, quæ litem aliam principalem præparant, ut actio ad exhibendum. *l. 1. ff. ad exhibend.* aliæ principales, quæ ita præparantur, ut rei vindicatio. *d. l. 1.* Et, si prin-

principalis actio mandata sit procuratori, etiam præparatoria mandata intelligitur. *l. 56. ff. de procurat.*

12. Actionum occasione notandum, *omnia judicia absolutoria esse*, adeoque licet res judicata sit, *quæ finem controversiarum accepit absolutione vel condemnatione. l. 1. ff. de re judic.* tamen si reus ante sententiam actori satisfecerit, officio judicis non condemnandus sed absolvendus est. §. *ult. h. t.* quo ipso evitat infamiam, alioquin ex sententiâ judicis propter dolum irrogandam, idque si conventus sit ex iis caussis, ex quibus non nisi per sententiam judicis infamia irrogatur, veluti in directis tutelæ, mandati, depositi, & pro socio actionibus: nam si ex delicto descendat actio, non tantum damnatus, sed & datâ pecuniâ pactus cum adversario, ut a lite desistat, famosus est. §. 2. *Inst. de pœnâ tem. litig. l. 4. §. ult. l. 5. ff. de his qui not. infam.*

TIT. XIII.

De exceptionibus.

1. Exceptio est actionis summo jure competentis exclusio; adeoque opponitur persecutioni, justæ quidem, sed tamen iniquæ. Quales plurimæ sunt, puta, exceptio metus, doli, justi erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti, jurisjurandi, rei judicatæ, aliæque sparsim occurrentes.

2. Exceptio metus est exceptio in rem, quæ competit metum passo & ejus heredi ac fidejussori. *l. 7. §. 1. ff. de exception.* adversus quemvis agentem ex contractu vel negotio, ad quod celebrandum metu compulsus fuit, qui excepit, sive agens ipse metum intulerit, sive non. *l. 4. §. 33. ff. de doli mali & met. except.* Ac requiritur, ut talis sit metus illatus, qui & ad actionem metus producendam sufficiens est. Et

quamvis actio metus quadriennio tantum duret, exceptio tamen perpetua est. *l. 5. §. ult. ff. de doli mali & met. except.*

3. Exceptio doli vel generalis est, concurrens cum aliis exceptionibus. *l. 2. §. 5. ff. de dol. mali & met. except. l. 3. C. de non numer. pecun.* vel specialis, ex eo dolo competens, ex quo etiam doli actioni locus est: quæ datur iis, qui summo jure per dolum alterius obligati sunt. §. 1. *h. t.* eorumque heredibus & fidejussoribus. *l. 7. §. 1. ff. de exception.* contra eos, qui dolum fecerunt, vel jam faciunt. *l. 36. ff. de verb. oblig.* non item contra alios, qui dolum non fecerunt, in quo a metus exceptione differt. *l. 2. §. 1. l. 4. §. 33. ff. de doli mali & met. except.* nisi ex titulo lucrativo successores sint, veluti donatarii, legatarii. *l. 4. §. 29. ff. de doli mali & met. except.*

4. Exceptio justi erroris talem præsupponit errorem, ex quo negotium gestum non est ipso jure nullum, sic ut summo jure actio inde detur; veluti si quis Titio stipulanti per errorem promiserit, quod non debuerat promittere. §. 1. *h. t.* adeoque per errantem opponitur ei, qui ex negotio per errorem gesto agit, ac concurrere potest cum generali exceptione doli. *l. 7. ff. de doli mali & met. except.*

5. De exceptione non numeratæ pecuniæ actum. *in tit. de literarum obligatione.*

6. Si debitor cum creditore suo pactus sit, ne debitum petat, si quidem naturale tantum debitum subfuerit, illud ipso jure tollitur, ut exceptione opus non sit. *l. 95. §. 4. ff. de solution.* sin naturale & civile simul, non obstante pacto, actio adhuc summo jure competit. §. 3. *h. t.* (exceptâ actione furti & injuriarum, quæ pacto tollitur ipso jure. *l. 17. §. 1. ff. de pactis.*) sed quia æquum est, pacta servari, exceptione pacti infirmatur. *d. §. 3. h. t.* ac aliquando soli paciscenti prodest, si scilicet pactum personale sit, aliquando heredibus quoque & fidejussoribus datur,

puta,

puta, si pactum in rem conceptum sit. *l.* 7. §. 8. *l.* 17. §. 3. *l.* 21. §. *ult. l.* 22. *ff. de pactis.*

7. Exceptio jurisjurandi necessaria est reo, qui ad actoris delationem aut relationem juravit, se non debere, vel rem illam, quæ per adversarium vindicatur suam esse: licet enim non magis de perjurio quæratur, quando reus, quam quando actor juravit, tamen non obstante jurejurando prior obligatio aut actio summo jure durat, ac ob id per hanc jurisjurandi exceptionem elidenda est. §. 4. *h. t.*

8. Sententiâ quoque judicis, quâ reus a petitione actoris absolvitur, obligationem aut actionem ipso jure non tolli placuit, ideoque rursus de eadem re ex summo jure agi potuit; sed quia res judicata pro vero habetur. *l.* 25. *ff. de statu homin.* hinc reo iterum convento datur exceptio rei judicatæ: cui ut locus esse possit, tria concurrere necesse est; scilicet, ut lis iterum moveatur inter easdem personas, de eâdem re, & ex eâdem causâ: si enim unum ex hisce tribus haud concurrat, exceptio rei judicatæ non datur. *l.* 12. 13. 14. *ff. de except. rei judic.* Eademque requisita ad jurisjurandi exceptionem oportere concurrere, ratio dictat, cum jusjurandum rei judicatæ vicem obtineat. *l.* 1. *pr. ff. quarum rer. act. non datur.*

9. Cæterum exemplo actionum exceptiones quoque dividuntur in civiles & prætorias.

10. Prætoriæ dicuntur, quæ ex edicto seu jurisdictione prætoris substantiam capiunt. § 7. *h. t.* veluti metus, doli, jurisjurandi.

11. Civiles sunt, quæ ex legibus, aut iis, quæ legum vicem obtinent, inductæ sunt. *d.* §. 7. *h. t.* atque ita ex legibus est exceptio non numeratæ pecuniæ, rei judicatæ, cedendarum actionum: ex Senatusconsultis exceptio Macedoniani & Vellejani: ex Principum constitutionibus exceptio ordinis seu excussionis & divisionis.

12. Adhæc exceptiones aliæ sunt perpetuæ & peremtoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ. §. 8. *h. t.*

13. Peremtoriæ & perpetuæ sunt, quæ judicium perimunt, & semel objectæ semper obstant; veluti, metus, doli, rei judicatæ. §. 9. *h. t. l.* 3. *ff. de exception.* perpetuæ dictæ, ab effectu perpetuo, dum semper obstant semel objectæ: peremtoriæ vero ideo, quia non differunt sed perimunt litem. Possuntque hæ peremtoriæ non tantum ante, sed & post litem contestatam opponi usque ad sententiam. *l.* 10. §. 1. *C. de fidejussor. l.* 4. *l.* 8. *C. de except.* quædam etiam post sententiam; puta Macedoniani & Vellejani exceptio. *l.* 11. *ff. de Senatusc. Macedon.* licet olim summo jure & observato vetere judiciorum ordine debuerint opponi ante litem contestatam in stricti juris judiciis, quod & innuit *d. l.* 8. non item in bonæ fidei judiciis, quippe quibus exceptiones ipso jure inerant, licet non ab initio contestatæ.

14. Temporales & dilatoriæ sunt, quæ ad tempus tantum obstant agenti, seu litem non perimunt, sed tantum differunt; adeoque non perpetuum sed tantum temporalem effectum habent. §. 10. *h. t. l.* 2. §. *ult. l.* 3. *ff. de exception.*

15. Exceptiones hæ temporales & dilatoriæ vel concernunt causam principalem, veluti pacti de non petendo intra certum tempus, competentiæ, rescripti moratorii, ordinis seu excussionis; & hæ ante litem quidem contestatam opponendæ, sed post litem contestatam & factam ab actore intentionis adstructionem probandæ sunt. *l.* 19. *C. de probat.* Vel respiciunt formam judicii personasque illud constituentes. veluti fori non competentis, judicis suspecti, adversarii legitimam personam standi in judicio non habentis; procuratoris inhabilis, sive sit minor annis septendecim, sive mulier, sive miles, sive mandato careat pro actore interveniens, cum non esset conjuncta persona, sive minor sit annis 25. cum sine

man-

mandato defensionem suscipit; hi enim omnes repelli possunt. §. 5. *Inst. ex quib. caus. manum. non licet. l. 2. ff. de reg. juris. l.* 8. §. 2. *l.* 35. *l.* 51. *ff. de procurat. l.* 12. *C. eod. tit.* Infamis plane procuratoris exceptio jure novo cessare jussa est §. *ult. h. t.* sed id non impedit, quo minus judex monitus talem ex officio repellat. Hujus vero generis dilatoriæ exceptiones ante litem contestatam opponendæ ac probandæ sunt. *l. pen. & ult. C. de exception.* nisi demum post litem contestatam quædam ex his competere cœperint aut innotescere, antea justo errore ignoratæ. *l.* 17. *ff. de judiciis. l.* 15. *C. eod. tit.*

TIT. XV.

De replicationibus.

1. Exceptioni summo jure competenti, sed tamen iniquæ respectu actoris, opponitur per actorem replicatio; quæ est exceptionis exceptio seu exclusio. Et si hæc quoque iniquitate quadam laborare videatur, duplicatione per reum oppositâ eliditur: duplicationi vero iniquæ triplicatio per actorem opponitur: triplicationi rursus quadruplicatio per reum. *pr. &* §§. *seqq. h. t.*

2. Exceptioni tamen doli opponi nequit doli replicatio. *l.* 4. §. 13. *ff. de doli mal. & met. except.*

3. Cæterum exceptiones uti & replicationes aliæ in rem sunt, aliæ in personam, aliæ mixtæ.

4. Exceptiones in rem dicuntur, quæ prosunt heredibus & fidejussoribus; ut metus, doli, rei judicatæ, aliæque plurimæ recensitæ in *l.* 7. §. 1. *ff. de exceptionibus.*

5. In personam sunt, quæ certam personam non egrediuntur, veluti, competentiæ. *l.* 7. *pr. ff. de exception.* cessionis. §. *ult. h. t.* pacti personalis de non petendo. *l.* 7. §. 8. *l.* 22. *l.* 25. §. 1. *ff. de pactis.*

6. Mixtæ sunt, quæ quibusdam, at non omnibus prosunt. Quo modo minorennitatis exceptio heredibus quidem minoris competit, at non fidejussoribus. *l.* 13. *l.* 18. §. *ult.* *l.* 19. *ff. de minoribus.*

TIT. XV.

De interdictis.

1. Interdicta (sic appellata, quasi interim dicta, vel inter duos dicta, vel ab interdicendo id est prohibendo) olim erant formulæ & conceptiones verborum, quibus prætor aliquid fieri jubebat vel prohibebat, sed jure novo pro his competunt actiones in factum extraordinariæ. *pr. h. t. tit. ff. de interdictis sive extraordinariis actionibus quæ pro his competunt.*

2. Agitur interdictis plerumque de possessione aut quasi possessione, salvâ proprietatis controversiâ. *princ. h. t.* Ut tamen quædam sint, quæ simul proprietatis & possessionis causam continent; veluti, interdictum de itinere actuque privato reficiendo. *l.* 2. §. 2. *ff. de interdictis. l.* 3. §. 13. *ff. de itinere actuque privato.* & interdictum de aquâ ex castello ducendâ *l.* 1. §. *ult. ff. de aquâ quot. & æstivâ.* Sicut & alia sunt, quæ continent causam quasi proprietatis; puta, quæ de locis sacris aut religiosis proponuntur, aut de liberis exhibendis. *l.* 2. §. 2. *ff. de interdictis.*

3. Est autem possessio in genere detentio rei corporalis, animo sibi habendi.

4. Et vel naturalis est, vel civilis: utraque duplici modo. Primo enim naturalis dicitur, quæ in facto consistit, dum quis suo corpore possidet: civilis vero, quæ in jure consistit, dum quis animo possidet. *l.* 10. *C. de acquir. possess.* Secundo naturalis possessio illa dicitur, quâ quis rem tenet, animo quidem sibi habendi, sed absque opinione domini; quo modo

pos-

possidet malæ fidei possessor: civilis ex adverso est, quâ quis possidet animo domini, quâ ratione possident veri domini & bonæ fidei possessores.

5. Acquiritur possessio non nisi animo & corpore simul: & vicissim non nisi animo & corpore simul amittitur. *l.* 8. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* retinetur vero vel corpore & animo simul; vel animo proprio corpore alieno, per colonos, servos, procuratores, aliosque similes; vel animo tantum sine ministerio corporis alieni: quâ ratione saltus hibernos & æstivos solo animo possidemus; ut & domos, dum ad nundinas profecti sumus. *l.* 6. §. *ult. l.* 44. §. *ult. l.* 45. 46. *ff. de acquir. vel amitt. poss.*

6. Interdicta variè dividuntur. Etenim I. Vel prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid fieri, veluti, ne vis fiat mortuum inferenti, aut in possessionem misso, ne quid in loco sacro vel publico fiat, ne quid in flumine publico fiat quo pejus navigetur &c. §. 1. *h. t.* vel restitutoria, quibus prætor jubet aliquid restitui, veluti interdictum *unde vi*, uti &, quibus id quod non jure factum est, jubetur in pristinum statum restitui. *l.* 2. *pr.* & §. 35. *ff. ne quid in loco publ. fiat. l.* 1. §. 19. *ff. de fluminib. l.* 1. §. 11. *ff. ne quid in flum. publ. fiat quo aliter aqua fluit &c.* vel exhibitoria, quibus prætor jubet aliquid exhiberi, veluti, de tabulis exhibendis, de homine libero aut libertis aut liberis nostris exhibendis. § 1. *in fine. h. t.*

7. II. Vel adipiscendæ possessionis interdicta sunt, ut *quorum bonorum*, *quod legatorum*. & *Salvianum interdictum*: vel retinendæ possessionis, puta, *uti possidetis*, & *utrubi*: vel recuperandæ possessionis, ut interdictum unde vi. §. 2. 3. 4. 6. *h. t.*

8. Interdictum *quorum bonorum* (sic dictum a primis verbis edicti prætorii. arg. *l.* 1. *ff. quor. bonor.*) est adipiscendæ possessionis; competens heredibus prætoriis, & ad eorum exemplum heredibus civilibus, contra eos, qui pro herede vel pro possessore possi-

dent,

dent, ad consequendam rerum hereditariarum corporalium, non incorporalium, possessionem. *l.* 1. 2. *ff. quorum bonor.* §. 3. *h. t.* Habetque hoc interdictum magnam cum hereditatis petitione affinitatem.

9. Interdictum *quod legatorum* itidem est adipiscendæ possessionis, competens heredi cavere parato de legatis præstandis, contra legatarios & fideicommissarios particulares, ad id, ut restituantur res corporales legatæ, quarum possessionem legatarii ante aditionem hereditatis, etiam ex voluntate futuri heredis, vel post aditionem sine heredis voluntate, nacti sunt. *l.* 1. §. 2. 3. 8. 11. 13. 16. *ff. quod legator.*

10. Interdictum Salvianum, quod in multis ad actionem Servianam & quasi Servianam accedit, etiam adipiscendæ possessionis est; & directum quidem competit domino prædii rustici, contra colonum, ad adipiscendam possessionem rerum invectarum & illatarum in prædium rusticum, ac expresse pro pensionibus obligatarum: utile vero crenitoribus quibusvis hypothecariis, contra quosvis possessores, ad avocandam rerum obligatarum possessionem. §. 3. *h. t. l.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. de interdicto Salviano.* arg. §. 7. *Inst. de action.*

11. Interdictum *uti possidetis* est retinendæ possessionis, competens ei, qui tempore litis contestatæ rem immobilem, vel incorporalem quæ pro immobili habetur; non vi vel clam vel precario ab adversario possidet; contra eum, qui se quoque possidere contendit, ad id, ut ipse justus, alter injustus possessor declaretur, & præstetur id, quod interest, possessionem turbatam non esse. §. 4. *h. t. l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. uti possidetis.*

12. Interdictum *utrubi* (quod etiam a primis edicti verbis nomen habet) ex jure novo prorsus simile est interdicto *uti possidetis*, eo excepto, quod in mobilibus locum habet. Quamvis olim hic ille vinceret, qui ma-

majore anni parte rem mobilem possedisset. *d.* §. 4. *h. t. l. unic. ff. utrubi.*

13. Interdictum *unde vi* est recuperandæ possessionis, competens ei, qui de possessione rei immobilis vi dejectus est, contra dejicientem, sive possideat, sive dolo sive culpâ sive casu possidere desierit, non contra tertium possessorem, ad id, ut restituatur possessio rerum immobilium unà cum mobilibus quæ ibi fuerunt, ac fructibus a tempore dejectionis, & omni causâ. §. 6. *h. t. l.* 1. §. 6. 31. 32. 34. 40. 41. *l.* 7. *l.* 15. *l.* 19. *ff. de vi & vi armata.*

14. III. Interdicta alia simplicia sunt, alia duplicia.

15. Simplicia dicuntur, in quibus apparet, quis actor, quis reus sit; veluti unde vi, quorum bonorum, quod legatorum, & pleraque alia. §. 7. *h. t.*

16. Duplicia, in quibus id non apparet, sed magis uterque actor simul & reus est: qualia sunt interdicta *uti possidetis* & *utrubi*, ac *de superficiebus.* §. 7. *h. t. l.* 1. §. 2. *ff. de superficiebus.*

TIT. XVI.

De pœna temere litigantium.

1. Temere litigantes sive actores, sive rei, variis pœnis coërcentur, quarum prima est pecuniaria, eaque vel in omnibus temere litigantibus sive actoribus sive reis obtinens, dum in expensas litis temere motæ aut exceptæ adversario suo damnantur. §. 1. *h. t.* vel in quibusdam tantum recepta, dum actores quidem plus petentes in triplum reo tenentur. §. 24. *Inst. de action.* rei vero ex contumaciâ in quadruplum damnantur in actione quod metus causâ. §. 27. *Inst. de act.* vel ex inficiatione in duplum in deposito miserabili, legato venerabilibus locis relicto, & damno per legem Aquiliam coërcendo. §. 1. *h. t.* §. 26. 27. *Inst. de action.* sicut & in eo, qui per mendacium pro-

propriam abnegat scripturam, ex quâ convenitur, aut numerationem pecuniæ, quam eâ confessus fuerat. *auth. contra C. de non numerat. pecun.* Pœnis vero hisce pecuniariis proximum est, quod in nonnullis casibus reo temere inficianti exceptio denegatur, quâ uti potuisset, si non temere negasset. Quâ ratione fidejussori fidejussionem neganti ac mendacii convicto denegatur beneficium ordinis & divisionis. *l.* 10. §. 1. *ff. de fidejussorib.* & socio societatem inficianti beneficium competentiæ. *l.* 67. §. *ult. ff. pro socio.* Sed & quandoque in temere inficiantes rejicitur a lege onus probandi: si quis enim conventus indebiti condictione, ipsam solutionem sibi factam neget, & mendacii convincatur, ipse deinceps probare debet, id quod sibi solutum est, vere debitum fuisse. *l.* 25. *ff. de probation.*

2. Altera pœna generalis est, quæ ex perjurio imminet; cum omnibus cujuscunque conditionis litigatoribus, tum actoribus tum reis, imposita fuerit necessitas præstandi in litis ingressu jusjurandum calumniæ. *d.* §. 1. *h. t. novell.* 49. *cap.* 3. quod non de veritate rei, sed de credulitate seu bonæ fide jurantis interponitur; dum actor jurat, se non calumniæ causâ litem intendere, reus vero, se non calumniæ causâ ad inficias ire; & in judiciis duplicibus utraque jurandi formula simul a jurante utroque conjungitur. *l.* 44. §. 4. *ff. familiæ ercisc. d.* §. 1. *h. t.* Et si quidem actor id præstare recuset, a limine judicii repellitur, sive suo, sive tutorio aut curatorio nomine, vel pro civitate, agere velit. *l.* 2. §. 2. *&* 6. *C. de jurejur. propter calumn. dando.* sin reus, pro convicto habeatur. *d. l.* 2. §. 7. *C. de jurejur. propt. calumn. dando.* Sed & partis utriusque advocatos jusjurandum calumniæ subire necesse est. §. 1. *h. t. l.* 14. §. 1. *C. de judiciis.*

3. Tertia temere litigantium pœna est infamia, non in omnibus, sed tantum quibusdam in causis locum ha-

habens: puta si quis in judiciis mandati, depositi, tutelæ directis, non contrariis, & actione pro socio, (non item in cæteris contractibus) suo nomine (non procuratorio) ex dolo vel latâ culpâ damnatus sit. *l.* 1. *l.* 6. §. 2. *ff. de his qui not. infam.* §. 2. *h. t.* junct. *l.* 226. *ff. de verb. signif. l.* 31. *ff. depositi.* sicut &, si qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, aut de dolo damnati, aut data pecuniâ pacti fuerint. *d.* §. 2. *h. t. l.* 4. §. *ult. l.* 5. *l.* 6. §. 3. *ff. de his qui not. infam.*

4. Est autem infamia læsio seu privatio existimationis. Existimatio vero est dignitatis illæsæ status moribus & legibus comprobatus. *l.* 5. §. 1. *ff. de extraord. cognition.*

5. Infamia ipsa vel juris vel facti est.

6. Juris infamia dicitur, quæ ex turpi facto per jus notato irrogatur; idque vel judicis sententiâ, ut supra dictum, vel ipso jure civili aut prætorio; quâ ratione infames sunt, qui viduam intra annum luctus ducunt, aut nuptum collocant, in scenam prodeunt quæstus gratiâ, bina sponsalia binasve nuptias eodem tempore contractas habent, aliique plures, enumerati in *l.* 1. *& passim tot. tit. ff. & C. de his qui not. infam.*

7. Facti infamia est, quæ oritur ex facto turpi, quod per jus non est notatum, sed existimationem alicujus onerat penes viros graves & honestos. *l.* 2. *ff. de obsequiis parent. & patron. præst. l.* 25. *C. ad leg. Jul. de adulter. l.* 13. *C. ex quib. caus. infam. irrog.* quali infamiâ facti laborant qui bonis cesserunt. *nov.* 135. *cap.* 1. alienarum ancillarum stupratores. *d. l.* 25. *C. ad leg. Jul. de adulter.* non vero spurii. arg. *l.* 6. *ff. de decurionib.*

8. Cæterum omnium actionum instituendarum initium est in jus vocatio. §. *ult. h t.* quæ est vocatio adversarii ad eum, qui jurisdictioni præest juris experiundi causâ. *l.* 1. *ff. de in jus voc.* initium vero actio-

actionum institutarum est litis contestatio. *l. 15. ff. rem ratam haberi.* quæ est intentio actoris & contradictio rei. *l. unic. C. de litis contest. l. 14. §. 1. C. de judiciis.*

TIT. XVII.

De officio judicis.

1. Cum tres personæ judicium constituant, puta, actor, reus, & judex; ac hactenus de officiis actorum in actionibus instituendis, nec non de officiis reorum in exceptionibus opponendis actum fuerit; restat ut & de judicis officio videamus.

2. Judex est vir bonus & æquus, jurisperitus per se vel assessores, autoritate publicâ constitutus, cui causas cognoscendi & decidendi facultas competit.

3. Hujus officium est, ut judicet secundum id, quod legibus & moribus & constitutionibus est proditum. *pr. h. t.* & in dubio æquitatem præferat stricto juri. *l. 8. C. de judiciis.* Judicet insuper secundum allegata & probata. *l. 6. §. 1. ff. de offic. præsidis.* quæ si cum conscientiâ judicantis pugnent, deponendum potius est judicis officium, præstito jurejurando, *sibi non liquere.* arg. *l. 36. ff. de re judic. l. 12. §. 1. C. de judiciis.*

4. Dividuntur judices in majores & minores.

Majores judices sunt, qui jurisdictionem & imperium habent, ac proinde etiam executionem non tantum sententiarum suarum, sed & judicum a se datorum. *l. 15. ff. de re judic.*

5. Minores sunt, qui nudam habent notionem, sine jurisdictione proprie dictâ; quales fuerunt judices pedanei; qui ideo suam non poterant sententiam exsequi. arg. *d. l. 15.*

6. Est autem jurisdictio potestas publica judicandi & exse-

exſequendi cauſas ad judicia ſpectantes, ſive civiles ſive criminales. Et varie dividitur.

7. Etenim I. Vel voluntaria eſt, quæ inter volentes exercetur, ut adoptio, emancipatio, manumiſſio: vel contentioſa, quæ inter invitos, cauſæ cognitione interveniente, exerceri poteſt; veluti inter actores vel accuſatores & reos. *l. 2. ff. de offic. proconſ. & legati.*

8. II. Vel civilis eſt, quæ circa cauſas civiles verſatur: vel criminalis, quæ circa cauſas verſatur criminales. *l. 1. ff. de off. ejus cui mand. jurisdict.*

9. III Vel ordinaria eſt, quæ alicui jure magiſtratus competit: vel extraordinaria ſeu legitima, quæ non jure magiſtratus competit, ſed ex ſpeciali lege, Senatuſconſulto, aut Principis conſtitutione conceſſa eſt. *d. l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. juriſdict. l. 6. §. 2. ff. de tutelis.*

10. IV. Vel propria eſt, quam quis exercet ſuo nomine: vel demandata ſeu delegata, quam quis exercet nomine & vice ejus, qui mandavit. *l. 16. ff. de juris-dict. l. 1. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. juriſdict.* Non alius autem mandare poteſt juriſdictionem, quam qui eam ſuo nomine, non alieno beneficio habet. *l. 5. ff. de juriſdict. l. ult. ff. de offic. ejus cui mand. juriſdict.* nec aliam, quam quæ ipſi competit jure magiſtratus; non item legitimam. *l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. juriſdict.*

11. Juriſdictioni cohæret imperium, id eſt, cogendi & coërcendi poteſtas. *l. ult. in fine ff. de offic. ejus cui mand. juriſd. l. 215. ff. de verb. ſignif.* Et vel merum vel mixtum eſt.

12. Merum imperium eſt poteſtas gladii, ſeu animadvertendi in facinoroſos homines. *l. 3. ff. de juriſdict.* junct. *l. 28. ff. de pœnis.*

13. Mixtum imperium eſt modica coërcitio juriſdictioni civili cohærens. *l. 3. ff. de juriſd. l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus cui mand. juriſd.*

Q 14. Ipſum

14. Ipsum judicis officium dividitur vulgo a DD. in mercenarium, & nobile.

15. Mercenarium appellant, quod actioni propositæ inhæret ac subservit; & potissimum in cognitione usque ad sententiam consistit. Nec regulariter judex hoc solet impertiri officium, nisi rogatus. arg. *l.* 4. §. 8. *ff. de damno infecto.* veluti audire testes, exceptiones admittere, aliaque plura.

16. Nobile officium est, quod nudæ notionis terminos egreditur, nec actioni propositæ subservit, ac frequenter a judice non rogato sponte interponitur circa ea, quæ ad publicam respiciunt utilitatem. Quâ ratione in sceleratos inquirit, provinciam malis purgat hominibus, tutores famâ publicâ suspectos sine ullius accusatione á tutelâ repellit, si eos causâ cognitâ nocentes inveniat. *l.* 3. §. 4. *ff. de suspect. tut. l.* 13. *ff. de offic. præsidis.*

17. Quale vero officium judicis sit in noxalibus actionibus, ex ipso titulo *de noxal. act.* & *tit. de pauperie* notum satis.

18. In actionibus in rem, quibus restitutio rerum reo per sententiam injungitur, si reus restituere jussus non pareat, si quidem habeat rem, manu militari officio judicis possessio ab eo transfertur; si vero non potest restituere, ac dolo fecerit, quo minus possit, in quantum adversarius in litem sine ullâ taxatione in infinitum juraverit, damnandus est; sin dolo careat, ac tantum in culpa sit, simpliciter in id quod interest condemnatio fit. Idemque in omnibus interdictis & actionibus in rem aut in personam, ex quibus arbitrio judicis quid restituendum, locum habet. *l.* 68. *ff. de rei vind.* Quod si possessor neget, in præsenti se posse rem restituere, dum ea alio in loco est, modica dilatio ei arbitrio judicis indulgenda est, si modo satisdet de litis æstimatione solvendâ, si intra tempus, quod ei datum est, non restituerit. §. 2. *h. t.* junct. *l.* 10. 11. 12. *ff. de rei vindic.*

Plane

19. Plane in actionibus in personam, in quibus non de restituendo, sed dando, faciendo aut præstando quæstio est, reo condemnato & fidejussoribus ejus olim mensis, postea duo menses, sed jure novissimo quatuor mensium spatium indultum fuit, ut judicato satisfaciant, eoque ealpso, ad usuras deinceps centesimas seu maximas teneantur. *l.* 1. 2. 3. *C. de usuris rei judicatæ.*

20. Eadem fere circa dilationem concedendam in actione ad exhibendum locum habent. §. 3. *h. t.* teneturque hâc conventus actione rem exhibere in eadem causâ; alioquin ad id, quod interest, damnandus. *d.* §. 3.

21. Quid juris sit circa restitutionem fructuum in bonæ & malæ fidei possessore, patet ex dictis in *tit. de rer. divis.*

22. In judiciis quoque divisoriis familiæ erciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum officium judicis in eo potissimum consistit, quod res quidem communes inter socios aut coheredes dividere, ac fines pristinos restituere debeat; sed si res aut nullam aut non satis commodam sine depretiatione divisionem recipiant, aut difficulter sine metu novæ confusionis pristini fines possint restitui, adjudicationes faciat, ita ut uni quidem rem totam, vel, si plures sint res, singulis singulas adjudicet, certo pretio æstimatas; eum vero, cui vel res adjudicata fuit, cuive ex pluribus rebus obvenit pretiosior ac portionem ejus superans, in certam condemnet pecuniæ quantitatem, præstandam pro ratâ cæteris, quibus aut nihil aut vilioris pretii res ex adjudicatione cessit: Et, si evidentioribus finibus agros distingui consultum sit, necesse est, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicari, eundemque in certam pecuniæ quantitatem, confini solvendam, vicissim damnari. §. 4. 5. 6. *h. t.* Sed & præstationum personalium rationem in hisce tribus judi-

ciis habendam esse patet *ex d.* §§. & iis quæ in *tit. de oblig. ex quasi contractu*, tradita sunt. Et quo facilius justa rerum adjudicandarum pretia constituantur, inter coheredes aut socios licitationem fieri convenit, ut plus licitanti adjudicatio fiat; extraneo etiam ad licitandum emtore admisso; maxime, si alter ex sociis profiteatur, se non sufficere ad justa pretia offerenda, atque ita vincendum adversarium vilius licitantem *l.* 3. *C. communi divid.*

23. Effectus adjudicationis est, quod adjudicatum statim dominii jure acquiritur ei, cui adjudicatum est. §. *ult. h. t.* nisi res aliena, per errorem adjudicata sit; tunc enim ex adjudicatione non dominium, sed sola usucapiendi facultas tribuitur. *l.* 17. *ff. de usurpat. & usucap.*

TIT. XVIII.

De publicis judiciis.

1. Crimina publica sunt, quæ descendunt, seu coërcentur, ex legibus publicorum judiciorum. *l.* 1. *ff. h. t.* quorumque accusatio cuilibet ex populo accusare non prohibito, plerumque datur. §. 1. *h. t.* excepto crimine partus suppositi, in quo illi tantum, quorum interest, ad accusandum admittuntur, *l.* 30. §. 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis.* excepto etiam adulterio, cujus accusatio tantum marito, patri, patruo, & avunculo patet. *l.* 30. *C. ad leg. Jul. de adult.* Prohibentur vero in universum accusare mulieres, pupilli, milites, magistratus, infames, pauperes minus habentes quam quinquaginta aureos. *l.* 8. 9. 10. *ff. de accusat.*

2. Magna autem inter privata & publica judicia differentia est, tum in aliis, tum præcipue in instituendo & exercendo. *pr. h. t.* Præterquam enim, quod in judicio publico quilibet secundum jam dicta accusare potest, dum in privato illi soli agunt quorum interest, insuper

per privatum indistincte procuratorem admittit pro actore & reo. *pr. Inst. per quas person. agere poss.* publicum non nisi quibusdam in casibus. *l.* 33. §. 2. *ff. de procurat.* Ex publico damnati semper infames sunt. *l.* 7. *ff. h. t.* ex privato rarius, ut dictum *tit. de pœna tem. litig.* Publicum morte rei regulariter extinguitur, exceptis paucis casibus. *l. ult. ff. ad. leg. Jul. pecul. l. ult. ff. ad leg. Jul. majest.* non ita privatum. §. 1. *Inst. de perpet. & temp. act.* In publico jusjurandum nec a parte parti, nec a judice alterutri litigantium deferri potest; nec jusjurandum calumniæ locum habet, dum in reo perjurium merito metuitur, ac per quæstiones & tormenta veritatis indagatio fit, & accusatorem a calumniâ satis absterreat in crimen inscriptio cum obligatione ad pœnam talionis, si reus absolvatur: quæ longe aliter in judiciis privatis observantur. Publicum insuper semel cœptum intra biennium, privatum vero intra triennium finiendum est. *l.* 13. *C. de judiciis. l.* 3. *& tot. tit. C. ut intra cert. temp. quæst. crimin. termin.* Publicum post annos viginti a crimine commisso moveri nequit. *l.* 12. *C. ad leg. Corn. de falsis.* privatum frequentius longioris temporis præscriptione finitur. *l.* 3. *& tot. tit. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*

3. Dividuntur crimina publica in capitalia & non capitalia.

4. Capitalia sunt, in quibus mors naturalis aut civilis infligitur. §. 2. *h. t. l.* 28. *ff. de pœnis.* Quale est crimen læsæ majestatis, adulterii, homicidii, parricidii, falsi, vis publicæ, peculatus, sacrilegii, plagii.

5. Non capitalia, in quibus retentâ libertate & civitate levior pœna, sive corporalis, sive pecuniaria, sive relegatio imponitur. §. 2. *h. t.* Quale est crimen stupri, vis privatæ, annonæ flagellatæ, ambitus, residui, & repetundarum.

6. Majestas est magnitudo imperii, & suprema legibusque civilibus soluta potestas.

Crimen læsæ majestatis in genere est id, quo publica majestas quomodocunque violatur: sic ut non modo comprehendat crimen gravissimum perduellionis, ab hostili procedens animo; sed & crimen læsæ potestatis publicæ, dum quis audace facto sine hostili animo usurpat majestatica. falsam monetam cudendo, privatos carceres exercendo, ab ecclesiâ abstrahendo, aliisque modis. *l. ult. ff. ad. leg. Jul. majest. l. 2. C. de falsâ monetâ. l. 1. C. de privat. carcer. l. 2. C. de his qui ad eccles. confug.* denique etiam crimen læsæ venerationis publicæ, dum quis Principi maledicit, aut dehonestat statuas & imagines ejus. *l. unic. C. si quis Imp. maledixerit. l. 5. l. 6. l. 7. §. 3. & 4. ff. ad leg. Jul. majestat:*

7. Perduellionis crimen est, quod hostili animo directo contra Principem aut populum superiores non agnoscentem, ejusque securitatem a subjectis committitur. *l. 1. §. 1. l. ult. ff. ad leg. Jul. majest.* veluti, consilia dolo malo cum hostibus populi Romani ineundo, eos in rempublicam dolo malo concitando, arma contra rempublicam sumendo &c. *l. 1. ff. ad leg. Jul. majest.* Cujus pœna ex lege Juliâ majestatis est mors naturalis, bonorum publicatio, & memoriæ post mortem damnatio. *§. 3. h. t.* eademque consciis, satellitibus ac ministris hujus criminis coërcitio est proposita. *l. 5. §. 6. C. ad leg. Jul. majest.* filii quoque perduellium ab omni successione & honoribus exclusi, perpetuo infames & egeni, ita vivere debent, ut mors ipsis solatium sit, & vita supplicium. *l. 5. §. 1. C. ad. leg. Jul majest.* Adhæc quilibet in perduellem hostis est, eumque occidere potest. *l. 35 ff. de religios.* quilibet hic accusator idoneus, licet alias vulgo ab accusatione repulsus, puta infamis, miles, servus, mulier. *l. 7. pr. & §. 1. 2. l. 8. ff. ad leg. Jul. majest.*

8. Adulterium est alieni thori violatio, vel alienæ matrisfamilias corruptio. *l. 225. ff. de verb. signif.*

l. 6.

l. 6. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de adulter.* cujus pœna ex lege Juliâ de adulteriis, vel potius ex ſubſecutis poſtea Principum conſtitutionibus, eſt gladii ſeu ultimi ſupplicii; ſed jure noviſſimo mulier adultera virgis cæſa in monaſterium detruditur, conceſsâ marito licentiâ eam intra biennium recipiendi. *l.* 30. §. 1. *& auth. ſed hodie C. ad leg. Jul. de adult.* quæ tamen pœna ceſſat, ſi adulterium non dolo ſed errore commiſſum ſit. arg. *l.* 12. *ff. ad leg. Jul. ad adulter.* vel mulier vim paſſa. *l.* 13. §. 7. *l.* 39. *ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 20. *C. ad leg. Jul. de adulter.* Poteſt & pater filiamfamilias unà cum adultero in adulterio deprehenſam occidere; non item maritus, niſi adulterum vilem & abjectum domi ſuæ deprehenderit. *l.* 23. *l.* 24. *l.* 32. *ff. ad leg. Jul. de adulter.* Ad hæc dos vel donatio propter nuptias nocenti conjugi ademta, innocenti applicatur, niſi extent ex eo matrimonio liberi, quibus ea ſervanda eſt. *novell.* 117. *cap.* 8. *&* 9.

9. Stuprum proprie dicitur, cum quis virginem aut viduam honeſte viventem non invitam comprimit. §. 4. *h. t. l.* 6. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Cujus pœna eſt in honeſtioribus publicatio dimidiæ partis bonorum & infamia, in humilioribus corporalis coërcitio cum relegatione. *d.* §. 4. *h. t.* Ut tamen pœna variis ex circumſtantiis exaſperanda ſit: nam ſi quis necdum viripotentem corruperit, humilior in metallum damnatur, honeſtior in inſulam relegatur, aut in exilium mittitur. *l.* 38. §. 3. *ff. de pœnis.* Tutor ſuam quondam pupillam ſtuprans bonis publicatis deportatur. *l. unic. C ſi quis eam, cujus tutor fuit, ſtuprav.* Sacratiſſimas quoque virgines, ſeu Deo devotas ſi quis violaverit, capitali pœnâ plectendus eſt. *l.* 5. *C. de epiſc. & cleric.* Violenti denique ſtupri tentati pœna eſt deportatio, perfecti vero ultimum ſupplicium. arg. *l.* 1. §. *ult. ff. de extraord. crimin. l.* 5. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de vi publicâ.*

10. Sicarius eſt, qui hominem ſive liberum ſive ſer-

vum quocunque instrumenti genere dolo malo occidit, vel hominis occidendi causâ cum telo obambulat: cum in lege Corneliâ dolus pro facto accipiatur. §. 5. *h. t. l.* 1. §. 2. 3. *l.* 7. *ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Nec interest, utrum occidat, an causam mortis præbeat; nam mandator cædis pro homicidâ habetur. *l.* 15. *ff. ad leg. Corn. de sicar.*

11. Pœna homicidii dolo perpetrati ex lege Corneliâ de sicariis, aut potius ex subsecutis postea juribus, est ultimum supplicium, nisi honestiores sint, qui in insulam deportantur. *l.* 3. §. *pen. ff. ad leg. Corn. de sicar.* §. 5. *h. t.* Si non dolo, sed culpâ homo occisus sit, extraordinaria coërcitio pro modo culpæ homicidæ imponitur. *l.* 3. §. 2. *in fine. l.* 5. §. 1. *ff. ad leg. Corn. de sicar.* Si casu, vel jure, nulla pœna est, ut dictum *in tit. ad legem Aquil.*

12. Venefici sunt, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occidunt, aut mala medicamenta publice divendunt; & generaliter, qui artes magicas exercent, aut docent, aut discunt. Quorum pœna ex eâdem lege Corneliâ & constitutionibus est ultimum supplicium. *d.* §. 5. *h. t. l.* 4. 5. 6. *& tot. tit. C. de malefic. & mathemat.*

13. Incendiarii sunt, qui dolo malo incendia concitant. Quorum pœna ex lege Cornelia est ultimum supplicium; etiam ut vincti verberati igne necentur. *l.* 9. *l.* 12. §. 1. *ff. de incend. ruin naufr. rate nave expugn. l.* 10. *ff. ad leg. Corn. de sicar.* si culpâ incendio causam dederint, levius castigantur, si casu, impune ferunt. *l.* 9. *l.* 11. *ff. de incend. ruin. naufr. nave rate expugn.*

14. Parricidium est, cum quis parentes aut liberos, eosve, qui ex affinitate parentum aut liberorum loco sunt, occidit. Cui crimini ex lege Pompeja de parricidiis, aut potius ex more majorum, proposita fuit culei pœna; ut scilicet parricida, virgis sanguineis cæsus, culeo seu sacco coriacio insuatur, cum cane,

gallo

gallo gallinacio, & simiâ, & viperâ, atque ita in mare proximum aut amnem projiciatur, aut bestiis objiciatu. §. 6 *h. t. l. 9 ff. ad leg. Pompejam de parricid. l. unic. C. de his qui parent. vel lib. occid.* & hic conscii eodem modo puniendi sunt. *l. 6. ff. ad leg. Pomp. de parricid.* Si quis alias cognatione vel affinitate junctas personas occiderit, ex lege Corneliâ de sicariis tenetur. §. 6. *in fine h. t. l. 9. §. 1. ff. ad leg. Pomp. de parricid.* Plane si in furore parricidium perpetratum sit, impunitum est, cum furiosus ipso furore satis punitus sit. *l. 9. §. ult. ff. eod. tit.*

15. Falsum est, quod animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem dolo malo fit. arg. *l. 1. §. 1. 2. ff. de leg. Corn. de falsis. l. 20. C. eod. tit.* Est & quasi falsum, quod scilicet juris interpretatione pro falso habetur, licet vere falsum non sit; ut, si quis sibi suisve quos in suâ habet potestate, quorumve est in potestate, quid adscripserit in testamento alieno. *l. 1. §. ult.* junct. *l. 15. ff. ad leg. Corn. de falsis. tot. tit. C. de his qui sibi adscripsf. in testamento.* vel si tutor necdum redditis rationibus cum fisco contraxerit. *l. 1. §. 9 ff. ad leg. Corn. de falsis.*

16. Multis vero modis falsum committi potest, puta, reticentiâ, aut dicto, ant scripto, aut facto; idque vel in testamentis, falsa conficiendo, recitando, vera supprimendo; vel in aliis instrumentis, vel in testimoniis, vel in nummis, vel in mensuris & ponderibus, vel in qualitate, statu & conditione personarum, aliisque quam plurimis. Estque hujus criminis falsi vel quasi falsi pœna ordinaria in hominibus liberis deportatio, & omnium bonorum publicatio, in servis ultimum supplicium. *l. 1. §. ult. ff. ad leg. Corn. de falsis.* Si tamen circa monetam falsum commissum sit, eam cudendo, radendo, adulterando, adulteratam consulto expendendo, vivi comburium propositum est. *l. 2. C. de falsâ monetâ.* Sicut è contrario mitius aliquando extra ordinem invenitur falsum coërcitum

pœnâ non capitali. *l.* 21. *l.* 32. §. 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

17. De vi publicâ, quæ scilicet potissimum fit cum armis, lata est lex Julia de vi publicâ. Fit autem vis publica multis modis, recensitis in *l.* 1. 2. *&* *tot. tit. ff. ad leg. Jul. de vi publicá.* ac hujus criminis pœna est deportatio. *l.* 10. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de vi publica.* §. 8. *h. t.*

18. De vi privatâ, quæ fit sine armis, lata est itidem lex Julia de vi privatâ; cujus pœna est publicatio tertiæ partis bonorum & infamia. §. 8. *h. t. l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi privata.*

19. Insignitior vis publicæ species continetur in crimine raptus, cum quis virginem, aut viduam, aut nuptam, aut sanctimonialem, libidinis causâ abducit. *l.* 5. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de vi public. l. unic. C. de rapt. virg. & sanctimon.* §. 8. *h. t.* poteftque hoc crimen etiam a sponso in propriam sponsam committi ex jure Romano. *d. l. unic. fere in pr.*

20. Pœna ejus est ultimum supplicium, tam in ministris & adjutoribus, quam in ipso raptore. §. 8. *h. t. l. unic.* §. 1. *l.* 2. *C. de rapt. virg.* adhæc bona raptoris applicanda raptæ, si illa ingenua. *d. l. unic.* §. 1. raptor quoque in ipso flagitio deprehensus impune a parentibus aut consanguineis aut tutoribus occidi potest. *d. l. un. pr.* nec uti potest fori privilegio, aut appellare a sententiâ si condemnatus sit. *d. l. unic. in fine principii.* nec nuptiæ inter raptorem & raptam possunt consistere; & si parentes raptæ dolorem remiserint, vel in nuptias raptoris consenserint, aut cum raptore transegerint, deportandi sunt. *d. l. unic.* §. 2. *in fine. nov.* 143. *&* 150.

21. Peculatus est furtum pecuniæ publicæ factum ab eo, cujus ea periculo non est. *l.* 9. §. 2. *ff. ad leg. Jul. pecul.* atque etiam ex constitutione Trajani & Hadriani in pecuniâ civitatum committitur. *l.* 4. §. *ult. ff. eod. tit.* Ejusque pœna in magistratibus est ultimum suppli-

plicium, in aliis deportatio. §. 9. *h. t.* nec hoc crimen morte extinguitur, quia principalis quæstio ablatæ pecuniæ hic vertitur. *l. ult. ff. eod. tit.*

22. Sacrilegium est furtum rei sacræ ex loco sacro. *l. 5. ff. ad leg. Jul. pecul.* junct. *l.* 16. §. 4. *ff. de pœnis.* Cujus pœna quandoque fuit ultimum supplicium, quandoque levior. *l. 6. l.* 10. §. 1. *ff. ad leg. Jul. pecul.*

23. Plagium est furtum hominis liberi vel servi alieni. Cujus pœna extraordinaria est ex lege Fabiâ & constitutionibus; quandoque capitalis, præsertim si parentibus ita infligatur orbitas liberorum. §. 10. *h. t. l. 1. & ult. ff. de lege Fab. de plagiariis. l. ult. C. eod. tit.*

24. Ambitus crimen est, cum quis clam emendicat, aut pretio redimit suffragia populi ad impetrandum honorem. Cujus pœna ex lege Juliâ de ambitu fuit centum aureorum, & infamiæ. *l.* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de ambitu.* Quamvis hæc lex tempore Imperatorum in urbe cessaverit, quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. *l. 1. pr. ff. eod. tit.*

25. Huic proximum est crimen Simoniæ, (sic dictæ a Simone mago) cum quis pretio dignitates & munera ecclesiastica sibi comparat. Quod uti apud gentiles Romanos improbatum fuit, in obtinendo sacerdotio. *d. l.* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de ambitu.* ita damnatum vetitumque acerrime a Christianis Imperatoribus Leone & Anthemio in. *l.* 31. *C. de episc. & cleric.*

26. Crimen repetundarum est, cum magistratus per se vel uxores, vel comites ac ministros suos quid accipiunt, ut aliquid agant vel non agant, contra, quam officii ratio exigit. Cujus pœna est quadruplum accepti, & alia coërcitio pro admissi qualitate. *l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *ff. de lege Juliâ repetund. l. ult. C. eod. tit.* Cujus criminis avertendi gratiâ jussi sunt omnes magistratus jurare, se nihil pro administrationibus sortiendis dedisse aut unquam daturos, sive per se, sive per interpositam personam; & vicissim nihil penitus

tam

tam in administratione quam post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis accepturos. *d. l. ult. C. ad leg. Jul. repetund.* Ut tamen munuscula seu xenia accipere non fuerint prohibiti. *l. 6. §. 3. ff. de offic. proconf. & leg. l. 6. §. ult. ff. ad leg. Jul. repetund.*

27. Crimen annonæ flagellatæ est, cum quis naves annonarias aut nautas retinendo, aliove modo, efficit, ut annona fiat carior. Cujus pœna ex lege Juliâ de annonâ est viginti aureorum, & alia animadversio extraordinaria. *l. 2. ff. ad leg. Jul. de annona.* Monopolio exercito, pœna est exilium & publicatio bonorum. *l. unic. C. de Monopoliis.*

28. Residui crimen est, cum magistratus pecuniam publicam, ad usum aliquem destinatam retinuerunt, nec in eum usum insumserunt. Cujus pœna ex lege Julia de residuis est, ut pecunia residua cum aliâ parte tertiâ istius pecuniæ in fiscum inferatur. *l. 4. §. 3. 4. 5. ff. ad leg. Jul. peculat.*

FINIS.

